







1747.

1. Beckmann, Gurtz Bernhard und Beckmann, Ott. Ferd

Heinr.: Gedanken vom Reformiren des Rechts, womit
Sie ihre iustitente Winter-Vorlesungen anzeigen.

2^{tes} Beckmann, Gurtz Bernhards: De obligatione mandantis
erga mandatarium fines mandati excedentem.

3^{tes} Beckmann, Otto Ferd. Mauricus: De feudo amto
sub pacto de retro venduto.

4^{tes} Boehmerus, Dr. Samuel Fridericus: De legitima
cadaveris occisi sectione 2 Sept. 1747: 1761.

5. Boehmerus, Gurtz Henricus: Differentiam legatum
purorum et non purorum praecipue intrinseca quatuor
legis Fulcidice . . . explicabit.

6. Funckus, Joannes: De emmenagogis eorumque operandi
motu et usu,

8. Knorrius, Carolus Thellius: De eo, quod iustum est
secundum observantiam C. Monitionem circa jus gabella-
rum.
9. Langius, Francus Frachinus: De docta librorum notitia
10. Langius, Francus Frachinus: De elegantiori eruditione
facultates animae superiores egregie argente
- 11^{4^{ta}} = Nettelblatt, Daniel: De coronatione ejusque effectu
inter gentes. 2 Saest
12. Pauli, Carolus Fridericus: De jure principis circa res
nullius in genere, et in specie regis Borussiae
circa res nullius in Borussia.
- 13^{1^{ta}} = Reuber, Johannes Hartwich: De archa, pacto imper-
fecto, data. 2 Saest.
- [14. Nesius, Theobaldus Christophorus, ad. h. t. Prosector:
ut insequiales honores . . . Martinus Schmelgelid . . .

entstandenes Fi'vairciauale proceres ac cives . . . similes.

[Nr. 14 ist des Fol. Formats wegen entnommen und
separat eingestellt.]

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
IMMINVTIONE
ET
SVPPRESSIONE
LOCHIORVM

QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI

POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILII INTIMIS
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVRAE PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

AD D. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

SAMVEL BREVER

NEOSOLIO-HVNGARVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.



DISSECTATIO ANATOMICA MEDICAE
DE
IMMINUTIONE
ET
SAPTRESIONE
FOCHIORVM

AVVA
SVM RESICVM ANATOMIA
CONSENSV GRATIAVE FACULTATE MEDICAE
PRAESIDIO
DOMINO
D. ANDREA FILIA BACHNERO

AVVA
SVM RESICVM ANATOMIA
CONSENSV GRATIAVE FACULTATE MEDICAE
PRAESIDIO
DOMINO
D. ANDREA FILIA BACHNERO

PRO GRADV DOCTORIS
SVM RESICVM ANATOMIA
CONSENSV GRATIAVE FACULTATE MEDICAE
PRAESIDIO
DOMINO
D. ANDREA FILIA BACHNERO

AVVA
SVM RESICVM ANATOMIA
CONSENSV GRATIAVE FACULTATE MEDICAE
PRAESIDIO
DOMINO
D. ANDREA FILIA BACHNERO

AVVA
SVM RESICVM ANATOMIA
CONSENSV GRATIAVE FACULTATE MEDICAE
PRAESIDIO
DOMINO
D. ANDREA FILIA BACHNERO





S. I.

CRuentae illius excretionis, quae puer-
peris post partum aut abortum euenit,
imminutionem & suppressionem, quo-
ad eius facere mihi erit integrum, di-
lucide & perspicue expediturus, non
incongruum fore censeo nec scopo
nostro alienum, prius fontes illos & scaturigines, vnde
lochialis cruor emanare consuevit, scrutari, quam impe-
ditae aut prorsus interceptae huic sanguinis fluxioni fu-
sius explicandae me accingo, quo posthac dilucidius in-
de appareat, vera & genuina quae sit remorati vel pla-
ne retenti huius fluxus causa, & quid detrimenti ex eo,
nisi breui conuenientibus praesidiis restituatur inque iu-
stum ordinem & fluorem reducatur, partum enixis sub-
inde vsu venire soleat. Noli vero existimare, cuncta,
quae de admirabili matricis fabrica, alioquin perdigna,
quae

A 2

quae calculo, ut aiunt, notentur candidissimo, me hoc loco esse confecturum; sed ea duntaxat, quae ad faciliorem calamitosi huius affectus & clariorem intellectum omnino plurimum conferunt. Cuiusmodi, praeter illos nervos, qui in omnes uteri partes disperguntur frequentissimi, potissimum sunt numerosissimae illae ex hypogastricis spermaticisque vasis, quae muliebri aruum abundantissime irrigant, propagines, & musculosae istae fibrae, quae dictis modo sanguivehis ductibus tam miris modis intertextae, ut nec ulli Professorum inextricabilem hunc contextum, quo musculosa haec stamina vasis implicata sunt, hucusque dissolvere licuerit. Cetera, quae de matricis structura in medium proferri possent, quum non tantus se nobis eorum, ad nostrum morbum planius explicandum, ostendat usus fructusque, quantum quis sibi forte persuaderet, consulto taciti sumus praeterituri, ne & operam, & tempus in iis frustra conteramus, quae in omnium fere Anatomicorum monumentis obuia, nec vlllo negotio a quocunque legi possunt.

§. II.

Vterus igitur, quemadmodum non ad fovendum solum, sed & nutriendum foetum, quoad eius claustris continetur, fabricatus est: ita quoque ad suum hoc munus rite exsequendum *vasa* obtinuit abundantissima, quae haud quaquam recto atque inoffenso, sed flexuoso admodum & tortuoso cursu per eius parietes feruntur, hincque ipsi de locupletissimo humorum penu prospiciunt. Primum itaque nobis *arteriosi* eius *alvei* veniunt contemplandi, qui maiore ex parte ab arteriis iliacis

cis

cis internis seu hypogastricis, minore autem ex parte a spermaticis veniunt. Quae proinde arteriae ab iliacis proficiscuntur internis, ad vteri latera seu margines delatae in eiusque substantia demersae, continuo in complures spectabili magnitudine abeunt ramos, qui dein in innumerabiles pedetentim alias diducti propagines, prioribus suis ramis multo graciliores, itinere admodum flexuoso, serpentum in modum, vteri corpus vsquequaque perreptant. Tortuoso hoc vasorum ductu prouisum est, ne dirumpantur, vtero grauiditatis tempore in omnes dimensiones expanso inque maiorem molem surgente, sed vt huius dilatationi expedite cedere atque obsecundare queant.

§. III.

Neque vero illud mihi dissimulandum est, illos commemoratarum arteriarum ramos, qui ad matricis fundum feruntur, istis propaginibus, ad eius ceruicem & vaginam excurrentibus, & multo esse conspectiores, & longe copiosiores. Praeterea vel illud notatu est dignissimum, vtriusque hypogastricae ramos, per vteri parietes abundantissime disseminatos, innumerabilibus anastomosibus inter se committi, ita vt propagines dextrae cum surculis sinistrae arteriae arctissimam societatem coeant *a*). Id quod inde liquet, si statum alterutri hypogastricae, velut sinistrae, immiseris, iucundissimo spectaculo videas, quomodo is ex huius propaginibus
A 5 actutum

a) WINSLOVIVS Tom. IV. Anatom. f. 616. 617. Thom. BARTHOLINVS Libr. I. Anatom. Cap. XXVIII. HEISTERVS Comp. anat. n. 236.

acutum in dextrae ramos transeat; sin autem hanc inflaueris, liquido apparebit, quemadmodum immissus aer illico in laeuae hypogastricae furculos transfundatur. Non potest autem negari, in menstruali & grauido utero, (in quo eiusmodi *ἀναστομάσεις*, propter vasa magis ampliata nec insolenter & raro digitum crassa b), longe conspectiores sunt) experimentum hoc multo succedere expeditius.

§. IV.

Tandem nec illud, quod omnium praecipuum est, de hisce arteriis silentio praetereundum, ultimos earum ramusculos innumero numero in uteri cauum dehiscere, ita vt liquidis vitalibus, paulatim in corporis canalibus accumulatis & praeter modum redundantibus, aditus eodem pateat expeditissimus c). Neque est, quod haec arteriarum aperturas, in interiore uteri superficie, omnium vero copiosissime in eius parte superiore, quae *fundi* appellatione cieri solet, vbiuis obuias, pluribus argumentis, vsquequaque multa sedulitate conquisitis, demonstremus, aut testium, qui suismet oculis eas vsurparunt, nubem in nostrae assertionis fidem vocemus: quia ipsa per se veritatis vis tam est magna, ut nihil externi requirat subsidii. Egomet enim ipse *ἀντόπτης* non vereor profiteri & prae me ferre, haec arteriarum

b) MORGAGNVS Aduers. anatom. IV. animadv. XXVI.

c) HEISTERVS loc. cit. & in not. ad libr. cit. No. 32. MORGAGNVS Aduers. anat. I. No. 33. & Aduers. anat. IV. animadu. XXVI. WINSLOVIVS Tom. cit. §. 596. & 617. Philip. Adolph. BOEHMERVS, Disquisit. de situ uteri grauidi, §. VI. Abrah. VATERVS, Diss. de utero grauid. Thes. III. Regm. de GRAAF de organ. mulier. Cap. IX.

teriarum hypogastricarum emissaria, quae suis osculis in vteri cauum patent, me multoties a b. CASSEBOHMIO, quum viveret, omnium Auditorum suorum oculis vidisse ita subiecta, vt nemo fuerit, qui amplius dubitasset, quin ea natiuae & verae forent scatebrae, vnde & menstrua mulieribus non grauidis, & lochia puerperis scitent. Quotiescunque enim hydrargyrum ab ipso alterutri hypogastricarum iniiciebatur, toties illud ex incredibiliter multis foraminibus, per interiorem vteri inque primis eius fundi faciem dispersis, in matricis specum euolui conspiciebatur. Cane autem existimes, tubulos hosce arteriosos in solo vteri fundo esse collocatos: obseruationum quippe fide constat, eos similiter in omni interiori matricis ambitu, atque in eius fundo, deprehendi, quantumuis minus frequentes & rariores; quum contra in superna eius parte multo inueniantur numerosiores & densiores,

§. V.

Perspectis itaque illis sanguineis riuus, qui ab hypogastricis seu iliaticis arteriis vtero veniunt rigandi, non abs re erit vel illos arteriosos canales breuiter velutique in transcurso attingere, qui a spermaticis arteriis ad muliebrem pertingunt conceptaculum. Arteriae itaque spermaticae, quae ex anteriore aortae descendens facie vtrouque progerminant, proas musculis incumbentes, tortuoso deorsum ad ouaria & vteri fundum descendunt tractu; neutiquam vero in eiusmodi cincinnos, a pampinis vitium non multum abludentes, quemadmodum venae comites, contorquentur. Postquam testes mulie-

muliebres fuerint assequatae, plures satis spectabiles a se dimittunt propagines, quae potissimum vteri fundo tubisque Fallopiianis distribuuntur, ceteris eorum furculis ipsa ouaria subeuntibus. De his spermaticarum ramis, qui in vteri fundum sese abdunt, illud omnium potissime venit considerandum, primum eos inter se ipsos per pluribus mutuis anastomosibus coniungi, sic, vt flatus dextrae spermaticae inditus nullo negotio in sinistrae ramos se propelli patiatur: his vero flatu distentis, aër immisus non difficiliter ex hisce in dextrae furculos transferatur. Deinde vtrasque spermaticas cum ramis hypogastricarum simillima inosculacione mutua iungi copularique: Quodsi enim spermaticarum alterutram inflaueris, iucundissimo adpectu deprehendes, ea adacto flatu dilatata, eo etiam ipso alterius spermaticae furculos perinde, atque vtrarumque hypogastricarum propagines, vna ac impulso aëre eleuari; testimonio vix vlllo alio testatori, vniuersa matricis vasa nexu inter se esse colligata arctissimo. Nec obscure indidem perspicies, quanta sibi ipse iniiciat sanguis vteri vasa inundans impedimenta, dum ab oppositis plagis in huius partis canalibus sibi fertur obuius. Postremo vel harum spermaticarum ramos non minus, quam hypogastricarum, in vteri lateram dehiscere & cruori eo peruias esse; sicut id eodem experimento, quod a b. CASSEBOHMIO supra iam perhibui adornatum esse, compertum habeo. Quippe mercurius his arteriis infusus eodem modo, ac de hypogastricis antea relatum est, non sine singulari oblectacione conspicietur, per patula earum emissaria, in vteri caueam decurrere d).

§. VI.

d) *Erid. HOFFMANNVS* Diss. de ignorata vteri structura, multor. morbor. causa, §. II.

§. VI.

Sunt, qui hastenus expositis sanguiferis ductibus quosdam alios riuulos, ab haemorrhoidalibus emis-
sos, adiiciunt, qui itidem muliebri aruum rigare tra-
duntur. At non conuenit inter artis anatomicae cultor-
es, a quibusnam haemorrhoidalibus illi natales du-
cant, an ab exterioribus, an vero interioribus? HEISTERVS
eos a prioribus exoriri diserte docet *e*); WINSLOVIO
contra eosdem vasis haemorrhoidalibus internis vindic-
ante *f*). Verum enim vero quamuis auctoritati tan-
torum virorum fidem minime derogem, potissimum
quum multo vsu atque obseruatione abunde constet, na-
turam in corporis partibus fingendis & fabricandis nun-
quam legibus adeo constantibus adstringi, quin identi-
dem, cum primis in neruorum & vasorum ramificationi-
bus extruendis & distribuendis, a consuetudine atque
ordine sibi alias maxime solenni desectat: tamen illud
laudatissimis Viris haud quaquam assentiri possum, eius-
modi propagines, ab haemorrhoidalibus pertingentes,
in cunctis mulieribus deprehendi perpetuos. Ego quip-
pe sancte adseuerare possum, amplius quadragenas mu-
lieres a b. CASSEBOHMIO fuisse incisas, antequam ipsi con-
tigerit, ramos quosdam, ab haemorrhoidalibus internis
ad matricem contendentes, vel semel tantum auditorum
suorum oculis obuiocere conspicendos. Tantum igitur
abest, vt ramos illos ab haemorrhoidalibus internis
vtero nonnunquam venientes, omnino negem aut in
B du-

e) Compend. cit. n. 236.

f) Libr. & Tom. cit. §. 617.

dubium vocem, vt potius ipse suscipiam, eos in aliquibus subiectis vtique interdum, quantumuis insolentius rariusque, reperiri. An vero ab haemorrhoidalibus etiam externis furculi quidam muliebribus impertiantur, nec ne? illud aliis me multo perspicacioribus relinquam perquirendum; mihi enim hic satis esse potest, paucis duntaxat expedisse, eos non oculis vnquam meis fuisse obuios.

§. VII.

Cognitis proinde illis arteriarum alueis, quae purpureum laticem in genitale aruum euoluunt, conueniet quoque illos ductus, qui cruorem inde reuehunt, breuiter attingere. Quemadmodum vero de arteriis vterum alluentibus constat, eas hypogastricarum & spermaticarum esse soboles: ita quoque de *venis* sociis, genitale aruum allabentibus, exploratum est, eas pariter a spermaticis & iliaticis interioribus venis ad vterum dimitti. Ubi primum matricis corpori fuerint appulsaе, statim, vt arteriae comitantes, in permultas dirimuntur propagines, quae itidem, quemadmodum arteriae, serpentum more, tortuosissimo flexu per vteri ambitum proserpentes, mutuis anastomosibus inter se connectuntur, sicut de arteriis supra commemoratum est. Quae enim a sinistra hypogastrica ad matricem perueniunt, ramis sinistrae coalescunt; vtrarumque vero hypogastricarum propagines furculis spermaticarum simili inosculatione iunguntur: hinc quoque est, cur cera, mercurius aut flatus cuiuscunque earum immixtus, illico omnes reliquas

reliquas subeat & dilatat *b*). Neque hoc loco praetereundum est, hasce ab hypogastricis profectas venas non magis, quam quae a spermaticis ad vterum pertinent, quamplurimis furculis interiorum vteri superficiem pertundere in eiusque cauum hiare: vnde FANTONO teste, flatus, matricis venis immixtus, ex his nullo negotio ad eius cavitatem adurgeri potest *i*). Quid? quod ipse b. CASSEBOHMIVS huius partis venas aequae, ac de arteriis memini, mercurio infarciens, luce meridiana clarius in conspectu nostrum omnium ostendebat, quemadmodum is per innumera ista oscula, quibus vteri facies intus pertusa cernitur, ex illis venosis ramusculis in matricis interiora deuolueretur.

§. VIII.

Prope oblitus essem, quod tamen maxime de venis spermaticis fuit prius dicendum, quam ad reliqua, quae de vteri canalibus commemorari digna sunt, pergam, eas videlicet solas, (neutiquam vero concomitantes arterias *b*) ad ouaria & vteri fundum abeuntes, prope ab his, in plures fatiscere ramos, alios aliis ita implicatos & coeuntes, vt pampinos vitis imitari videantur: hinc quoque est, cur venosi hi ductus, tam mirifice inter se mutuo connexi & implicati, in scholis Anatomicorum *pampiniformis* vel *pyramidalis corporis* nomine ceteri consueuerint. Perperam igitur e spermaticis

B 2

b) HEISTERVS loc. cit. FANTONVS Anatom. Corp. human, pag. 186. *Erid.* HOFEMANNVS Dissert. cit. §. II.

i) loc. cit. *k*) CASSEBOHMIVS Syllog. anat. selectar. obseruat. quae peculiari Dissert. Praefid. Illustr. DN. ALBERTI publici iuris facta. §. LXIII.

ticis quoque arteriis similis ramorum implicatio, ac venarum est, afferitur, quum ~~ad~~ luculenter arguat, eas, sine vilo ramorum suorum implexu, itinere duntaxat aliquantulum flexuoso atque adeo paene recto deorsum ad matricem tendere.

§. IX.

Sed vt redeam ad ea, quae mihi de vteri vasis in vniuersum adhuc restant expendenda; nec ea obseruati sunt indigna, vniuersa ista vasa, tum venosa, tum arteriosa, quae, incredibili numero, per vteri ambitum in eam feruntur flexuosissimo, in hoc itinere identidem in stupendae multitudinis membranaccos sinus seu cellulas expandi atque dilatari, perinde fere, vt in lacteis mammarum tubulis obseruare licet. Quae in causa quoque sunt, cur vteri substantia, si cultro transversim dissecta inspicatur, abundantissima ostendat foramina, velutque spongiosum & loculosum induat habitum, in puerperis & praegnantibus, quam in non grauidis & virginibus, longe conspectiorem ^h. Quantum vero tot tamque innumerabiles sinus seu loculamenta, ad sanguinem intra se cohibendum & accumulandum, habeant momentum, quantaque libero eius atque satis expedito per vteri canales motui iniicere valeant impedimenta, id magis aliis relinquam aequiore animi lance perpendendum, quam vt ego tantam rem suo pondere ac momento hic, breuitati

^h) Fr. HOFFMANNVS Dissert. cit. HEISTERVS l. c. MORGAGNVS Aduers. IV. Animadu. XXVI. Thom. BARTHOLINVS loc. cit. p. 264. vid. etiam adiect. Tabul. p. 294. a SWAMMERDAMIO ipsi communicat. lit. S. VARTERVS Diss. cit. figur. ipsi in calce appens. lit. c. & c.

uitati studens, de industria mihi sumam expendendam. Tandem nec illud de quibuslibet vteri venis commemorare mihi praetermittendum est, eas non esse vllis valvulis, seu membranis pendulis, quarum alioquin est sanguinis regressum promouere, instructas; vnde flatui etiam in eas adacto ex alio in alium earum ramum via patet latissima.

§. X.

Perlustratis idcirco illis alueis, quoad nostro instituto conuenerit, quibus cruor ad muliebria arua deuoluitur, non alienum quoque erit dispicere, vndenam vtero tanta, qua praefertim in parturientibus ad foetum emolendum pollet, vis & potentia emouendi oboriri queat. Constat quippe fide & afferuatione eorum, qui parturientibus obstetricias manus exhibent, tantam tunc temporis vteri esse vim, tantos eius nixus motusque, vt obstetricantis manum, per eius orificium ipsi insertam, ad praesidium foetui ferendum, vndique circumplectendo vsque adeo violenter subinde constringat, vt illa, ex vteri cauo reducta, persaepe & motu, & sensu priuata sit, quid? quod per multas saepiuscule a partu horas, ne dicam dies, etiam tum stupore eiusmodi, aut aliquando etiam vehementi dolore affecta deprehendatur *m*). Si proinde huius motus, quo vterus foetum siue maturum, siue immatum, foras extrudit, causam requiras, eam in illis fibris

B 3

depre-

m) BOEHMERVS Disquis. cit. §. XVIII. not. 2. *Corn. SOLINGEN Handgriffe von der Wundartzn. P. 748. KÜCHLERVS Diss. de non distenda secundin. extract.*

deprehendes muscularibus, quae maxima abundantia sanguineis uteri alucis intertextae sunt. Equidem non sum nescius, esse, qui musculosa stamina matrici denegant, sibi persuadentes, eam nihil nisi textum quoddam esse spongiosum, quamplurimis vasis implexum & involuero, quod peritonaei proles est, obuolutum *n*): aliis contra ea aliam utero substantiam affingentibus, muscularesque villos ei abiudicantibus,

§. XI.

Verum enim vero tametsi dandum est, eas fibras, quibus foetus domicilium deprehenditur instructissimum, non semper ita esse conspicuas, maxime in puellarum innuptarum atque illibatarum matricibus, ut a vasis sanguineis, ipsas maxima abundantia interluentibus, facile internosci queant: propterea tamen illae utero abnegari nequeunt, exstantibus tot tamque grauissimis aliorum fide dignissimorum & locupletissimorum Auctorum testimoniis, qui eiusmodi fibras carneas, veluti in retia confusas atque implicatas, toto matricis corpore viderunt intertextas. Sic eas MORGAGNVS in mulieris, *n* enixu de vita discedentis, utero suismet oculis usurpauit *o*): cui congruunt MALPIGHIVS *p*), MERYVS *q*), HEISTERVS *r*), LITTRIVS *s*), RYVSCHIVS *t*), Thom. BARTHOLINVS

n) WANSLOVIVS lib. & Tom. cit. §. 599. TAVRY nov. Anatom. Cap. XII

o) Lib. cit. Animadv. XXVI

p) Dissert. ad SPONIVM.

q) Hist. Acad. Reg. Scient. Ann. 1707. N. 2.

r) Compend. cit. No. 236.

s) Hist. de l'Acad. Royale des Sciences An. 1701. P. 385.

t) Decad. II. Aduerf. anatom. chirurg. x.

LINUS *u*), VATERVS *x*), HALLERVS *y*), BOEHMERVS *z*),
DEVENTERVS *a*), DIONIS *b*), MANNIGHAM *c*), HEVCHE-
RVS *d*), CASSEBOHMIVS *e*), atque permulti alii, qui eius-
modi musculares fibras matrici asserunt. Caussam vero,
quamobrem carnosâ haec stamina multis ambigua fue-
rint visâ, puto esse eam, quod primum sanguineis vteri
vasis indissolubili fere nexu intertexta sunt atque impli-
cata, nec ab iis se facile seiungi patiuntur: tum quod
ipsâ mutuo implexu, eoque arctissimo, velutque reticu-
lato *f*), inter se connectuntur *g*), denique quod mu-
sculosos hosce villos fortasse in vtero virginum vel certe
non grauidarum fuerint scrutati, vbi tunc minime mirum,
nihil fibrosi ipsis sub aspectum venisse, quia eiusmodi
matricis tanta est densitas, tam compacta textura, vt
nusquam fibrae appareant carneaе, quantumuis vel opti-
mo conspicio peruestigatae. Si quis vero eas sibi ge-
stiverit in conspectum dari, is modo inspiciat matricem
grauidarum, vel earum mulierum, quae a partu extinctae
sunt, vbi faciliori longe negotio eiusmodi fibras, quod
conspiciores istis & distinctiores sunt, deprehendere sibi
erit

u) Lib. cit. L. I. Cap. XXVIII. p. 264.

x) Dissert. cit. Thef. II.

y) In not. ad praefect. academ. BOERHAAV. Tom. V. Part. II. §. DCLXIV.
not. c.

z) Programm. de situ vteri grauid. §. VI.

a) Nouum lumen obstetric. Cap. IV.

b) Traité general des accouchemens Chap. II.

c) Compend. art. obstetr. pag. 7.

d) Art. magn. anat. n. 63.

e) Method. fecand. Part. I. Cap. XXIV. §. XIX.

f) MALPIGHIVS Dissert. cit. ad STRONIVM.

g) CASSEBOHMIVS loc. cit. MORGAGNY loc. cit.

erit integrum. Tandem scire cupio, quemadmodum quis & vnde vehementissimos illos & acerbissimos motus spasticos, quibus uterus parturienti tempore suum hospitem foras expellit, & qui etiam, foetu iam in lucem edito, diu ab partu persistere observantur, explicuerit, musculosas istas fibras, quae vasis intericiuntur frequentissimae, de uteri corpore ablaturus, omnium praecipue quum subinde vi vsque adeo incredibili, vsque adeo enormi & violenta peragantur, vt manibus quoque obstetricum, opem ferentibus, vim inferant. De musculo nouissimo illo orbiculari, quem RVVSCHIVS uteri fundo attexerit, quum non habeam, quod satis liqueat, nihil hoc loco dici attinet. Haud equidem abnuero, uteri fundum ceteris eiusdem cingentibus partibus naturaliter esse crassiores *b*), & ipsam quoque placentam ei solentius crebriusque, quam reliquis, adnexam animaduerti *i*): an vero natura ideo huic matricis parti, prae omnibus eius aliis, de peculiari musculo prospexerit, illud ego mihi non facile persuaderi committam, experientia ipsa loquente, uterinum hepar nec raro in uteri parietibus circumstructis, quin imo identidem in ipso eius ceruice intus esse adnatum; quibus cum itaque uteri partibus male actum fuisset, destitutis eiusmodi musculo, ad placentam, RVVSCHII opinione, excludendam apto nato & comparato.

§. XII.

Denique nec illud negligendum est, quod ego mihi extremum proposueram: vnde nimirum uterus suos accipiat

b) BOEHMERVS loc. cit. §. III. MANNINGHAM libr. cit. p. 9.
i) MANNINGHAM ibid.

cipiat nervos? WILLISIO enim tradente, magna huic parti intercedit cum nervoso totius corporis systemate consensio, tametsi non desint, quibus persuasum est, matricem haudquaquam partibus corporis exquisitae sensationis esse annumerandam, quia alias eiusmodi summas a foetu cum suis secundinis, quid? quod a gemellis distensiones, sine maxima molestia vitaeque periculo, non ferre posset. Verum enim vero qui tam corrupte de vteri sensu, qui omnino satis acutus est, *k*) iudicant, ii non perpendunt, eius dilatationem a foetu incluso sensum sensumque fieri; unde non mirum est, ab eiusmodi paulatina matricis distensione nihil molesti & acerbis praegnantibus suboriri. Luculentissimum huius veritatis testimonium illud aneurisma arteriae potest esse subclaviae sinistrae, cuius MORGAGNVS meminit, quod nervos, a cervicis spondylis ad brachium decurrentes, *ἀπέσας* contigit vehementerque premendo infestavit, non tamen vlllo subsequente neque stupore, neque dolore, nec debilitate quidem in affecto brachio *l*): quia nervorum haec pressio minime subito, sed pedetentim fuerit exorta.

§. XIII.

Qui proinde matricis textura intexuntur nervi, ex lumborum, ossis sacri & paris intercostalis nervis pullulant *m*); neutiquam vero a pari vago, ut DIONISIVS perperam tradidit *n*), descendunt. De illis, qui a nervis lumborum & ossis sacri ad vterum pertingunt, nihil
C hoc

k) DIONISIVS Lib. cit. Lib. II. Cap. V.

l) Aduers. anat. VI. animadv. XXIV.

m) WINSLOVIVS Tom. III. §. 623.

n) Libr. cit. L. I. Cap. II.

hoc loco dicere attinet: verum illi mihi videntur maioris momenti, quos ex intercostalibus, vel, vt planius loquar, ex hypogastrico plexu *o*) progerminare videmus, quippe quorum beneficio matri omnino commemorabilis cum pluribus humani corporis partibus, inque primis cum ventriculo, intercedit consensus. Refert vero hic *neruorum plexus*, cui nomen est *hypogastrici*, suam originem potissime acceptam plexui mesenterico inferiori *p*), qui suos a plexu mesenterii superiori ducit natales *q*); hic vero rursus oritur ab illa neruorum implicatione, quae arteriae coeliacae isthici, vbi ex anteriore aortae facie emergit, circumuoluta conspicitur. Nerui quippe intercostales, *superiores* qui solent ceteri, per diaphragma traiectione inque abdominis interiora delati, suo quisque in latere, circa capsulas renum atrabillares, fingunt duo ganglia semilunaria *r*), vnde ad arteriam coeliacam pergentes *s*) atque inter se commissi seu coniuncti, nouum idque conspectius multo efficiunt ganglion *t*), quod *ganglion arteriae coeliacae* appellari solet. Ex hoc ganglio innumerabiles pullulant propages, quae miris modis inter se intextae implicataeque ac coeliacae arteriae circumuolutae, indidem, instar Solis radiorum, in vicinas abdominis partes disperguntur: vnde est, cur WILLISIO hic plexus *solaris* fuerit dictus

o) WINSLOVIVS Tom. cit. §. 419.

p) Idem ibid. §. 418.

q) Idem eod. Tom. §. 416.

r) Idem cit. Tom. §. 401.

s) Idem loc. cit. §. 403.

t) Idem ibid. §. 403. 404. 414.

dictus *u*), complures fibrarum neruearum manipuli, ab hoc coeliaco plexu, vel, si malueris, ganglio coeliacæ discedentes, pergunt ad arteriam mesentericam superiorem, ubi simili mutuo implexu inter se coniuncti, plexum illum, qui *superior mesentericus* perhibetur, constituunt. *x*).

§. XIV.

Iam tibi perspicuum spero futurum, quomodo a plexu coeliaco implexus ille neruorum, qui *mesentericæ superior* cluet, nascatur; ab hoc vero is, qui *inferior mesentericus* audit; denique quemadmodum ex hoc *hypogastricus* progignatur *plexus*; vnde complures rami ad intestinum rectum, vesicam cumque primis ad vterum ferantur *y*). Verum enim verò nec illud silentio reor transeundum, dictis modo plexibus arctissimum intercedere nexum & communionem cum ipso trunco nerui intercostalis, a lateribus corporum vertebrarum lumbarium deorsum pergente, qui alias etiam *neruus intercostalis inferior* appellatur, quippe qui hoc itinere, multis locis, surculos satis frequenter a se dimissos commemoratis plexibus adiungit *z*). Permagni quoque interest, nec illud praetermitti, quod maximi esse mihi videtur momenti ad notabilem illam consensionem, quæ matrici cum ventriculo intercedit, dilucidius explicandam, plexus videlicet dictos arcta propinquitate pari

C 2

vago

u) Idem loc. cit. §. 404, 413, & 414.

x) Idem loc. cit. §. 415.

y) Idem loc. cit. §. 420.

z) Idem loc. cit. §. 412, 417, 419, 420, 425.

vago seu octavo neruorum esse coniunctos. Vt enim mentionem eorum omittam ramorum, qui a gangliis vtriusque nerui intercostalis superioris, vel, si magis placuerit, a plexibus semilunaribus dimissi, cumque pluribus a pari vago exortis propaginibus consociati, plurimum conferunt ad varios abdominis plexus formandos, velut ad hepaticum *a*), splenicum *b*), vtrumque plexum renalem *c*), aliosque: dicam duntaxat quam breuissime, e plexu ventriculi coronario egerminare binos insignes nerueos fasciculos, quorum alter a neruo stomachico anteriori *d*), alter autem ab eiusdem cognominis posteriori proficiscitur *e*), qui inde deorsum progressi & rursus inter se coniuncti, tum vero denuo in furculos explicati, sese in plexum iniiciunt coeliacum *f*), vnde ad ipsum superiorem mesenterii plexum excurrentes, cum ipsis neruis intercostalibus velut in rete quoddam nerueum confunduntur *g*).

§. XV.

Quum itaque intercostalibus neruis tam frequens commercium, tam arctissimum sit cum paris vagi ramis connubium: spectatissimum cuique erit, vnde matrici tanta cum stomacho veniat consensio, vt, menstruis siue a conceptione in mulieribus grauidatis, siue quacunque alia

a) Idem Tom. cit. §. 141. 405. a BERGEN Diss. de neruo intercost. §. 20.

b) WINSLOVIVS ibid. §. 141. 408. a BERGEN ibid. §. 22.

c) WINSLOVIVS lib. cit. §. 141. 411.

d) Idem l. c. §. 139.

e) Idem ibid.

f) Idem l. cit. §. 140. 403.

g) Idem cod. Tom. §. 411. a BERGEN, l. c. §. 24.

alia causa citra praegnationem imminutis aut plane suppressis, varii ventriculi morbi, velut nausea, cardialgia, conatus vomendi, ipsaeque vomitiones, sexui foeminino vfitate ingruant. Non quidem me fugit, esse summam inter Medicos dissensionem, horum *φαινομένων* rationes reddituros. Multi dubitant eorum causam in ipsum cruorem, ex vtero effluere vndelibet impeditum, conferre, vt qui, in vteri vasis subsistens, indidem ad ventriculi tunicas redundare fertur: pluribus contra eam mutuo illi per nervos consensui, qui ventriculo est cum matrice, asserentibus. Quamuis vero non abnuam, sanguinem, mulieribus stato tempore ex pudendis emanare solitum, si retineatur inque corporis canalibus praeter modum cumuletur, vtrique aliquando ad ventriculum restagnare eidemque eiusmodi mala inferre posse: non tamen diffiteor, plus culpae nervuorum consensui, quam cruori stagnanti, dandum mihi videri. Diccas enim mihi, fodes, vehementer velim, quemadmodum foeminis, quibus menses fluunt & quibus proinde iam aliqua exsuperantis sanguinis moles sublata fuerit, si appetentiae suae indulgent cibisque crudis vel incongruis, velut pane a furno adhuc fumante, vel certe recens cocto, placentis valde adipatis, farinaceis ex oleo vel butyro frixis, aut aliis digestu difficilioribus vescuntur, tam subita atque inexpectata huius menstrui fluxus inhibitio vsu venire queat *h*), sanguinis tamen earum exsuperantia iam ex parte imminuta. Ceteras vt in

C 3

prae-

h) IYCKERVS Conspect. Medic. theor. pract. Tabul. XV, No. V. BARTHOLDVS Oper. med. Part. II. Sect. I, Cap. VII. §. 6.

praesenti taceam difficultates, quibus eiusmodi symptomatum, mulieribus a menstruorum obstructione solennium, explicatio per sanguinem, vberius ventriculi vasa tunc inundantem, obstricta est.

§. XVI.

Nec obscure quoque ex iis, quae de vasorum, quibus uterus effluit, fabrica protuli, apparebit, quae sint verae & mensium, & lochiorum, scatebrae, vnde mulieribus, quae in mensuris sunt, aut foetum enixae, profluant. Quum enim nostra memoria res sit confessa multorumque oculis satis superque testata, ab illis sanguineis alueis, qui frequentissimi per vteri parietes feruntur, innumera abire emissaria, quae patulis suis osculis in vteri antrum hiant: nemini non, vel me non affirmante, indubitatum fore censeo, ea esse germanos illos verosque fontes, vnde cruor iste manat, qui foeminis menstrualibus aut lochiorum fluxu affectis e genitalibus elabatur. Verum enim vero tametsi ea tam sunt aperta tamque perspicua, vt vel oculis iudicari possint: tantopere tamen de illis a medentibus etiamnum disceptatur in vtramque partem, vt aliqui *καταμήνια* ex solo utero destillare autument *i*), nonnulli vero eadem e vagina effluere sibi persuadeant *k*); aliis e contraria parte, qui medii & neutrarum partium esse volunt, illa non minus

i) MOROANVS Aduers. anat. L. N. 33. LITTRIS Memoires de l'Acad. Royale des Scienc. 1720. DIONIS Libr. & Cap. cit. & Cap. V.

k) *Reald.* COLVMBVS de Re anat. L. VI. & H. BOHNIVS Circul. quat. Phys. Progyrn. XVI. BERGERVS Physiol. med. Lib. I, Cap. XX.

minus ex ipso vtero, quam eius vagina, prodire contendentibus l). At vero etiam si ipsemet accipiam, menstruum hunc fluxum e vaginae vasis, si in id tempus inciderit, quo mulier vtero gerit, erumpere: nemini tamen illud assentiri possum, eum solenniter exque constante naturae lege ac praescripto, vel citra graviditatem, indidem oriri; quum ego ipse sensuum & observationum fide exploratum habeam & compertum, sanguinem illum, qui e pudendis mulierum non praegnantium, quarta quaque hebdomade, effertur, a solius vteri cavo profluere. Beatus quippe CASSEBOHMIVS, qui mihi vnus est instar omnium, discucit uterum mulieris, quae, menstruis demum ex muliebribus manare coeptis, diem suum obiit, in quo, brevi ab obitu aperto, non magna solum cruoris, eiusque adhuc satis fluidi & fere cocci- nei, copia deprehendebatur, sed maxime etiam perspicue atque euidentissime omnium oculis apparebat, quavia ille ex patentibus iis vasorum osculis, quibus interior vteri & cumprimis eius fundi scatet facies, in ipsam matricis caveam effluxerit, nullo nec minimo quidem vllius dehiscens osculi vestigio in vagina comparente. Quid? quod dicta oscula exiguas etiam tum exstillabant sanguinis guttulas, blande leniterque modo digitis pressa, vagina e contrario, quantumvis valide compressa, tamen ne stillam quidem cruoris vllam effundente; argumento omni alio testatori, emissaria ista, ab vterinis vasis in matricis specum pertingentia, sola esse, vt menstruorum, ita etiam lochiorum, veras scaturigines. Neque

l) *Erid. HOFFMANNVS Medic. ration. system. Lib. I. Sect. II. Cap. X. §. X.*
FREINDVS Emmenol. Cap. V. VATERVS Diss. cit. Prooem. p. 5.

Neque dissentiant a nobis, praeter alios magni nominis Viros, velut HALLERVM *m*), HEISTERVM *n*) & GRAAFIVM *o*), MORGAGNVS *p*) & LITTRIVS *q*), quorum prior in compluribus mulieribus non grauidis, quae aut menstruo sanguine adhuc profuente, aut certe non ita multo post, rebus humanis fuerint exemptae, vteros dissecando aperuit, vbi cruorem ex folis illis canaliculis, qui in matricis abdita patent, elapsum inuenire ipsi licuit omnem, ne vlla quidem guttula ex vaginae interioribus, etiamsi crebro pressu tentatis, destillante: posterior vero, similia in variis matricibus faciens pericula, cruorem pariter deprehendit ex folis iis emissariis in earum caua euolutum.

§. XVII.

Neque eadem est omnium de sanguine, muliebri hac expurgatione pudendis effuso, sententia, ex ipsis vterinis arteriis, an vero potius venis, dimanet? Quidam eum ramis arteriosis duntaxat exire affirmant *r*); alii eundem contra tantummodo e venarum furculis in vterum emitti perhibentibus *s*). Fateor, omnino operae pretium futurum, hanc rem tantam, illustriore declaratione b. Lectoris oculis ac menti subiicere: at latissimum

m) Libr. cit. Tom. V. Part. II. in §. DCLXV. not. *m*.

n) Libr. cit. not. 32.

o) Libr. & loc. cit.

p) Loc. cit. & Aduers. anat. IV. animad. XXVI.

q) Libr. & loc. cit.

r) DIONIS l. c. Cap. V. Thom. BARTHOLINVS l. c. Libr. I. Cap. XXVIII. p. 266. Regn. de GRAAE, Libr. & Cap. supra cit.

s) Fr. HOFFMANNVS Libr. cit. L. I. S. II. C. X. §. X. *Elem. Alb.* NICOLAI Dissert. de direct. vasor. p. 77. not. *j*.

num differendi campum, cuius difficilius exitum, quam principium, inuenire mihi liceret, intrarem, eam suo pondere ac momento examine exquisito heic perpensurus. Gratae igitur breuitatis amans paucis tantum, meus qui sit de cruore menstruo sensus, dicam. Quum antea experientiae testimonio & suffragio plane & perspicue expediuerim, quo modo cum ab vteri venis, tum praecipue arteriis, innumerabiles furculi matricis cauo inserantur, qui isthic apertis suis ostiolis cuius facile obuii: consentaneum est, sanguinem illum, quo foeminae, quavis menstrua periodo reuoluta, exfoluuntur, non magis ex arteriosis, quam venosis tubulis excidere, quemadmodum id pluribus iisque grauissimis argumentis & rationibus extruere, nullius esset negotii, dummodo tempus, cuius ratio habenda est, mihi vacaret. His itaque nostro instituto iam praestructis, in eo etiam erit, vt ad ipsos illos morbos, quorum explicationem hac Dissertatione sumus suscepturi, ingrediamur excutiendos, videlicet ad *lochiorum* & *imminutum*, & plane *suppressum fluxum*. Commodum enim mihi visum est, hos vtrosque morbos, quum propinqua cognatione inter se deprehendantur esse coniuncti, coniunctim quoque hoc loco pertractare & contemplari. Non enim similitudine solum symptomatum, quae pariunt, parum inter se differere & gradu tantum differre; sed alter in alterum quoque subinde mutari, perspiciuntur, ita vt, quae initio solum erant imminuta, lochia, haud raro expeditius opinione in veram abiisse cognoscantur obstructionem: quae vero contra omnino suppressa sunt, haud insolenter, etiamsi ad plenum iustumque fluorem ea reductum

D

iueris,

iueris, parcius tamen minutiusque, quam pro expellendi sanguinis copia, uteri vasa inundante, e genitalibus emanare obseruentur. Quae quum ita sint, non sane ego mihi videar aliquid commissurus, quod reprehensionem commeruisset, vtraque haec mala, quae puerperis crebrius, quam expectatur, vsu euenire solent, hoc loco coniuncta expensurus.

§. XVIII.

Ne igitur in perscrutanda lochiorum *ἔρωμολογία* pluribus moremur, cuius non ita magnus videtur esse ad dicenda vsus; quum nostra parui referat, vndelibet quis vocabulum hoc velit deriuatum, an *ἀπὸ τῆς λέξης μαίεω*, an vero *ἀπὸ τῆς λέξης μαίω*, *parturio*? potius ad ipsam rem, lochiorum nomine designatam, progrediamur declarandam, vtpote maiorem vtilitatis fructum in aduersa hac puerperarum valetudine dilucidius expedienda nobis praebentem. *Lochiorum* itaque nomine in scholis Medicorum illa *sanguinis ex utero venit excretio, qua cruor statim a partu, primum multus & sincerus quidem, sed quodammodo nigricans inque grumos coactus, deinde vero sensim parcius, dilutior pallidiorque, tandem albicans & muco similis, lente nec interrupte uteri interioribus effertur* t). Ecce hic tibi cuncta, quae ad lochiorum fluxum, si rite atque ordini naturae conuenienter praecedat, semper cognoscendum, atque ab omnibus aliis, quae praegnantibus identidem graviditatis tempore & post partum eueniunt, haemorrhagiis, factis internoscendum pertinent. Nec vilius negotii est, eum

t) BOERHAAVIUS Institut. medic. §. 686. DIONIS L. c. Libr. IV. Cap. VIII.

cum ab illo sanguinis profluvio, quod abortum comitatur, discernere. In abortu enim, praeterquam quod is plerumque mense tertio, aut ad summum ineunte quarto, a conceptione, grauidis accidere obseruatur, semper die tertio ante abortiui foetus exclusionem vterum ferentibus sanguinis oboritur e genitalibus effusio, in dies usque adeo ingrauescens, vt tandem, die appetente tertio, ipse foetus, immoderatissima haemorrhagia comitatus, suo domicilio eiiciatur.

§. XIX.

Quo autem clarius eluceat, lochiale hanc cruoris a partu profusionem nec difficulter a quibusuis ceteris cruentis profluuuis, quae grauidatis cum ipso durante praegnatus tempore, tum maxime post pariendi actum, interdum contingunt, ex nostra definitione, distingui posse: non erit incongruum eiusmodi haemorrhagias cum lochiis conferre. Res est confessa pluribusque obseruationibus testatissima, esse subinde mulieres, vtero graues, quibus primis a conceptu mensibus, semel, bis, ter, imo pluries, quouis menstruo spatio vertente, menstrua fluunt, sine vlla partus in vtero conclusi noxa ^{u)}. At vero quis est, qui non videat, lochiis plurimum cum hoc cruento e muliebribus fluxu discriminis intercedere: illa quippe, foetu iam excluso, puerperis duntaxat eueniunt; hic vero grauidis, suo ventris onere nondum leuatis. Priora, si legitime succedunt, per plures continuos dies, praeterquam tertium aut quartum, quo fe-

D 2

bris

^{u)} DIONIS Lib. cit. Lib. II. Cap. XII. MANNIGHAM L. c. p. 73. 74. IYNCKERS L. c. Tabul. XIV. No. VIII. 6. & Tab. XVI. No. II. 1.

bris lactea puerperis accenditur, perseverant: posteriori tantum singulis mensuris periodis reuertente, paucisque diebus elapsis intermittente. Neque arduum est ea ab omnibus reliquis, quae praegnantibus vel partu releuat nonnunquam obtingunt, vehementioribus sanguinis e pudoris sinu profusionibus dignoscere. In cunctis enim vteri haemorrhagiis sanguis ut plurimum tanta tamque effusissima profunditur copia, ut mulieres inde nisi faciant iacturam: tum non perpetuo & continuo fluxu, ut lochia, sed interrupto velutque torrenti flumine per intervalla ex pudendis prorumpit; deinde nec congruatus est & nigricantis coloris, sicut lochialis cruor, sed semper fere perquam fluidus, floridus & colore admodum coccineus, siue purpureus, conspicitur. Quae omnia quum in lochialem fluorem nequaquam conueniant, ut ex definitione tradita abunde perspicuum est; liquido apparebit, expeditissimum esse, ex nostra definitione, lochia a cunctis reliquis cruentis fluxionibus, foeminis siue sub ipsa gestatione, siue demum ab exclusione partus, identidem ingruentibus, disiungere.

§. XX.

Nec Medicorum filiis insolenne est, lochiorum fluxum dispescere in *legitimum* siue illum, qui ex naturae praescripto ordinate, moderate, rite sufficienterque succedit, atque in *illegitimum* seu eum, qui a debito ordine, iusto modo, conuenienti gradu & successu desciscit. Qui posterior quum variis modis per saepe delinquat, vel parcius aequo, vel iusto abundantius, vel nihil admodum

dum fluendo; iure & merito venit denuo partiendus, primum in *nimum* vel *excedentem*, deinde in *imminutum* vel *non sufficientem*, postremo in plane *suppressum* seu *deficientem lochiorum fluxum*. Quemadmodum vero prior ille nihil ad me attinet, utpote de lochiis iusto parcius ex utero manantibus, vel omnino interceptis ac indidem profluere prohibitis, hoc loco duntaxat loquuturum: ita etiam, illo omisso, ad binas posteriores grauidarum afflictiones, quae me magis movent, ingrediar praesenti Dissertatione explicandas. Quas vero quo plenius planiusque cognoscamus, operae pretium erit morboris hisce lochiis, quae data opera haec sumsimus perlustranda, indolem atque genium legitimi lochiorum profluuii breuiter praemittere, quo scopo nostro conuenienter perspecto, tanto breuiiores postmodum in nostris morbis exponendis esse poterimus, quanto maius lumen indidem his morbis affundetur.

§. XXI.

Quanti vero referat ad puerperarum incolumitatem, quantaeque sit necessitatis, ut sanguis ille, qui in vasorum vterinorum alueis, durante praegnationis tempore, aggestus stagnat, quique foetui in matricis antro commoranti de nutrimento prospexit, illo in lucem edito, satis opportune iustaque copia e muliebribus effluat, nemini non spectatissimum fore censeo, ingentem illam vitalium liquidorum vim ac molem, qua vteri ductus, foetu ingrandescente suumque ipsius domicilium sensim sensimque expandente, mirum in modum ampliati inundantur; nec non placentam cum adhaerenti-

rentibus membranis, arctissimo illo nexu, qui ipsis cum vteri vasis intercedebat, iam omnino solutam & ablatam, curatius perpensuro. Observationum enim fide exploratissimum est, vasculosum hoc corpus *x*), *placentae* nomine quod notari solet, cum suis appensis membranis, praesertim illa, quae exterior est & *chorion* appellatur, per innumerabiles vasorum surculos, villorum speciem prae se ferentes *y*), interiori matricis superficie, quamplurimis foraminibus seu osculis oblitae, usquequaque adnecti, ita ut ramusculi venae umbilicalis ultimi, tota placenta intexti, qui villorum specie in exteriori chorii facie satis frequentes, in placenta vero conuexa superficie multo frequentiores exstant, minimis arteriarum vterinarum surculis attextantur: quae vero ab arteriis umbilicalibus egerminant propagines, simili apparatu ramulis venarum vterinarum, itidem atque arteriae in vteri cavo hiantium, coniunguntur. Mirabili hac mutuaque vasorum, & matricis & foetus, connexiono efficitur, ut liquida ad foetum nutriendum apposita cumque materno sanguine ad vterum delata, indidem placide vasculosum placentaе textum subire hacque via ad foetum permanere, ab eo autem ad placentaem atque vteri venas redire queant. Vtrum placenta vasis vterinis *apertis*, an vero, RYVSCHIO teste, interueniente peculiari quadam villosa pellicula agglutinetur? heic perquirere supersedeo. Videas itaque, secundinas, matricis

x) RYVSCHIVS Thesaur. anat. II. affer. IV. No. II. & Thesaur. anat. III. affer. II. No. XXXVIII.

y) BOEHMERVS loc. cit. §. I. HALLERVS lib. cit. §. DCLXXVI. not. *h*. HEISTERVS Comp. cit. No. 241. Tabul. VI. fig. 27.

tricus complexu & mutua per tot vasorum furculos connexionem solutas, non posse non vteri vasa, tum arteriosa, tum venosa, post se relinquere aperta & patula: ex quibus ergo sanguini, in nimium distentis vteri vasis satis expedite progredi impedito, aditus in vteri cauum patet facillimus, nisi forte ipsi a variis causis, velut ab eximia plethora, invitata spissitudine, motibus vteri spasticis, aliisque id genus, remora quaedam atque impedimentum fuerit interiectum.

§. XXII.

Quo autem dilucidius appareat, quanta sit & utilitas, & necessitas, lochiorum a partu excretionis: dispiendum quoque erit, quae molestiae atque acerbitates ipsi vtero, a liquidis vitalibus in eo, durante graviditate, iusto copiosius collectis & cumulatis, veniant perfectae, quibus a foetus & secundinarum exclusione itidem lochiali hac effusione releuandus est. Constat vterum in virginibus vix mediocris fabae magnitudinem excedere; in adultioribus vero non gravidis paulo maiorem esse & minoris piri molem plus minus aequare: Vbi primum vero fuerit gravidatus, pedetentim ab incluso atque in crescente foetu in tantam expandi molem, quantum non queo dicere. Eo igitur in dies distento inque omnes dimensiones dispanso, ipsa quoque vasa, quae perquam flexuoso reptatu per eius ambitum incedunt, pariter sensim amplientur inque rectum extendantur, necesse est; quo itaque sanguini, per arterias hypogastricas & spermaticas matricis parietibus allabenti, via aperitur multo effusius redundantiusque in vterinos alueos influen-



influenti. Hinc quoque est, cur omnibus fere, sese Medicos profitentibus, vteri substantia crassitudine, exorta grauiditate, insigniter semper conualescere dicatur. Caue autem existimes, ipsi matricis soliditati seu texturae accessionem quandam inde fieri, vt aliquibus perpetram persuasum est; *duro* *scilicet* ostendente, maiorem illam & mirificam crassitudinem, quae vteri parietibus grauiditatis tempore obuenire animaduertitur, solis liquidis, eius vasa hoc temporis inundantibus, eademque tam mirabiliter diducentibus, acceptam esse ferendam z). Vasa quippe haec gestationis tempore cruore vsque adeo turgent, ut, *Thom.* BARTHOLINO aestimante, emulgentium magnitudinem induant a). Quum itaque vteri ductus in gravidis, omnium maxime insigniter plethoricis, tanta sanguinis copia obruantur, & ex eorum structura manifestissimum sit, vix in toto corpore vllam deprehendi aliam, praeter vterum, partem, in qua liquidorum in orbem motui tot tantaeque difficultates obuiuntur superandae, idque vel citra grauiditatem: quidnam demum putes eidem vsu esse venturum grauidato, sicque exorta plethora, quae cunctis praegnantibus solennis est, sanguine copiosius inundato?

§. XXIII.

Iam vero, quum vteri vasa, durante gestatione, tanta sanguinis vbertate obruta teneantur oppletaque, cuius nullo negotio perspicuum erit, eum, foetu cum secundinis partus tempore siue solito & legitimo, siue imma-

turo,

z) BOERHAAVIUS Praelect. academ. in Institut. §. DCLXIII.

a) Libr. & Cap. cit. p. 266.

turo, in lucem emisso, onere suo iam hac via exonerato, sensim sensimque subsidendo se esse contracturum & ad pristinam, qua ante conceptionem utebatur, magnitudinem reuersurum; dum vero placentae & secundinarum cum vterinis vasis, in vteri cauitatem suis ostiis patentibus, connexio iam itidem sublata est, hocque pacto purpureo latici, in matricis sanguineis ductibus abundantius cumulato & stagnanti, aditus vteri interiora repetendi patefactus est expeditissimus: nihil sane euidentius est, quam quod cruor ille, in vteri vasis hærens, nec satis expedite per eius venas hypogastricas & spermaticas redire valens, dum a subsidente seque rursus coarctare summopere nitente vtero, vndique acriter vrgetur, qua iam data porta, in vteri caueam sit irrupturus, indidemque per genitalia *lochiorum* nomine effluxurus. Si proinde modum requisieris, quo cruor partu leuatis excidat, en habe eum heic paucis quidem, sed nostro instituto sufficienter explicatum. Neque tibi iam obscurum fore spero, quamobrem tantam huius fluxus, & vtilitatem, & necessitatem, in omnibus partum enixis supra praedicauerim, dummodo diligentius expendaris, puerperae hac via non sanguinis solum exsuperantiam conuenienter imminui, verum vtero etiam liberiores eius ac promptiores restituui circuitum per vterina vasa, quo plurima, alias subsequutura damna, praeoccupantur. Tandem quoque nunc dilucidius apparebit, cur lochia a menstrua sanguinis effusione, singulis mensibus foeminis eueniente, non aliter dissidere aliquibus scribuntur, quam vt haec ante partum, illa vero post partum, mulieribus contingant *b*).

E

§. XXIV.

b) W. WEDELIYS Physiol. p. 209.

§. XXIV.

Quo autem vera lochiorum indoles explicatio-
 prodeat atque illustrior, non alienum erit paucis tan-
 tum expedire, quemadmodum illa se gerant, si legitime
 & praescripto naturae congruenter puerperis dicantur
 fluxisse: iis quippe intellectis, postmodum cognitu erit
 facilius, quae imminuti & suppressi fluxus lochialis no-
 mine nobis veniant comprehendenda. Incipit itaque
 haec sanguinis excretio statim a partu, vbi primo al-
 teroue die sanguis satis largus, copiosus, sincerus & initio
 fluidus *c*), paulo post vero colore aliquantum nigrican-
 te hinc tinctus, inque grumos coactus, vel certe qua-
 dantenus concretus *d*), ex utero per muliebria paulati-
 no ac lento fluore foras effertur: quoniam uterus, qui
 ab incluso foetu cum secundinis & liquidis amnii mirum
 quantum distentus erat, iis iam exclusis, hoc temporis
 spatio, vi suarum fibrarum, se promptius fortiusque,
 quam subsequenter diebus, vbi remissius coarctari de-
 prenditur, contrahit & ad pristinam paruitatem redire
 nititur; hinc maiore contentione atque impetu cruoris
 abundantiam, in suis mirifice dilatatis vasorum alueis
 haerentem, per aperta inque vteri specum hiantia emis-
 saria expellit, vnde effusior illa rubentis & fluidi cruo-
 ris, primis ab exclusione horis, expurgatio. Postera
 vero tertia ceterisque deinceps consequentibus diebus,
 vbi matrix iam multo cunctantius languidiusque se con-
 trahit,

c) IVNCKERVS Lib. cit. Tabul. XVI. BOERHAAVIUS Praelect. cit. §.
 DCLXXXVI. DIGNIS Lib. cit. Libr. IV, Cap. VIII.

d) IVNCKERVS ibid.

trahit, cruor hic sensim diluitor, imminuitor, pallidior & graui quodam atque adeo interdum foetido odore imbutus, paulatim ac leniter e genitalibus profluere pergit, donec, breui manare destitutus, carniū loturae haud absimilis redditus, vltimo albus, viscidus & mucosus indidem exeat sicque lochiorum rite fluentium finem faciat. An mucosum hoc liquamen, quod, lochiis breui exitum facturis, denique ex vtero destillat, graui cuidam dilaceratoriae matricis vulnerationi, in suppurationem abeunti, asserendum sit, vt aliqui sibi habent persuasum; an vero vasis illis, in vteri cauo apertis, quae, nexu illo mutuo, qui sibi cum secundinis erat, dissoluto & sublato, lochiorum perhibui esse scaturigines, magis acceptum ferendum? vtpote quae emissaria, vtero, per rite succedentem atque etiamnum durantem lochiorum expurgationem, sua sanguinis sarcina seu onere iam, maximam partem, leuato, pedetentim arctiora reddita & coniuuentia, eiusmodi mucosam colluuiem in vteri cavernam deuoluunt, illud hoc loco excutere nihil attinet.

§. XXV.

Est vero tanta lochialis huius excretionis diuersitas in cunctis puerperis, ratione durationis, copiae, ordinis, successus, coloris, cetera, quanta vix cuique credibile est. Quousque vero lochia puerperis fluere perseverent? non conuenit inter rei obstetriciae cultores, Nonnulli ea, die circiter decimo quarto vel quinto exacto, desinere tradunt e); aliis contra earum fluxui totum

E 2 tum

e) MANNIGHAM Libr. cit. p. 85. IVNCKERVS loc. cit. DIONIS Libr. & Cap. cit

tum mensum & longius spatium subinde constituentibus f). Verum enim vero quantumvis non negari queat, lochialis expurgationis tempus, in omnibus puerperis, non iisdem esse finibus circumscribendum, verum semper ad earum temperamenta, sanguinis affluentiam, corporis staturam, virium mensuram aliasque earum circumstantias exigendum: tamen illud, quod in plerisque, foetum enixis, multo usu atque observatione compertum est, in dubium incertumque minime vocari potest, quo constat, lochiorum prostruuium, iuste legitimeque si cedat, ut plurimum nono aut decimo die, nisi omnino cesset, certe tamen, etiamsi adhuc vno alteroue die plus perseverauerit, valdopere imminutum esse, ita ut nihil, praeterquam exiguum mucum, deinde e genitalibus stillat. Quemadmodum vero Auctores dissentiunt de illo termino, quo lochia vtero exire desistunt: ita etiam multa de eorum quantitate variant. Nonnulli quippe ea primo die alteroue, ad sextarium dimidium, vel sesquiheminam, matricem effundi statuunt g), aliis contra plus minusue cruoris indidem euolui contendentibus. Verum & hic modum sanguinis, vtero manantis, haudquaquam sua ipsius mole & copia, qua effertur, sed similiter corporis habitudine puerperarum, sanguinis, quem in suis vasibus alunt, abundantia, virium modulo, aliisque circumstantiis, Medicus definit. Et enim sunt aliquando mulieres, partu releuatae, quibus lochia parcius & minutius, quam pro necessitate & sanitatis tutela, pudendis emanare deprehenduntur; non tamen

f) BOERHAAVIUS loc. cit.

g) HIPPOCRATES Lib. I. de morb. mulier. 93. text. I.

tamen villo valetudinis ipsarum dispendio & detrimento consequente: quoniam corporis natura insolenter aliis excretionibus, praeter modum auctis, velut crebrioribus & copiosioribus alui profusionibus, nimiam vitalium liquidorum vbertatem diminuere, hacque ratione lochiorum defectum aut imminutionem compensare consuevit. Hinc quoque est, cur nemo medentium lochiis, quomocunque procedentibus, debitum iustumque modum sit statuturus, nisi puerperarum habitum corporis, temperaturam, vitam antea actam, aetatem, diaetam, aliasque secretiones atque excretiones, omnium praecipue quem quondam extra grauiditatis statum sunt expertae menstruum fluxum, quid? quod, si iam semel vel aliquoties liberos pepererint, ipsa quoque praecua lochia, semper respexerit *h*).

§. XXVI.

Est enim res confessa atque innumeris rerum testimoniis testatissima, iis puerperis, quae extra gestationis negotium, singulis quibusque mensibus reuolutis, parum atque exiguum sanguinis nunquam non per muliebria emoliuntur, lochia quoque exiguiore semper copia fluere: sicuti contra illae, quibus menstrua effusa velutque citato flumine ex obscenis partibus feruntur, si partum ediderint, largiorem quoque lochiorum effusionem perpetiuntur *i*). Similiter vel illae foeminae, partus laboribus defunctae, non multum cruoris aduertuntur

E 3

h) IYCKERVS Libr. cit. Tab. XVII. No. II. DIONIS Libr. cit. Libr. IV. Cap. VIII.

i) ALBERTI Diss. cit. §. I. SYLVIVS Prax. med. Libr. III. Cap. VIII.

tuntur e pudoris sinu emittere, quae superioribus puerperis, post prolem exclusam, sanguinis semper exiguam vim e vagina egresserunt: ut e contrario omnes illae, quae praeteritis partus temporibus sanguinem largiori velut flumine ab enixu e genitalibus effuderunt, postmodum quoque parturientes, semper effusioribus nec raro modum excedentibus lochiis conficiantur *k*). Qua quidem ratione, quum tanta tamque creberrima lochialis fluxus diuersitas in plerisque partum in lucem proferentibus, deprehendatur, clarissime arbitrer appariturum, lochia, si rite & sufficienter profluxisse ferantur, non sola effusi modo cruoris copia ac tempore, quo perdurarunt, esse metienda, verum semper etiam ad puerperarum naturam, liquidorum, quibus praeditae sunt, exsuperantiam & dotes, temperamentum, vitae ante actae genus, victus, quae vsae, rationem, inque primis ad praegressorum mensium modulum, & ad illam quantitatem, qua statim primo alteroue die prorumpunt; quin etiam ad ipsa lochia, (si forte iam quondam partus dolore laborauerint) puerperio nouissimo praecua, venire exigenda *l*). Quo nomine illi frustra essent, lochiis legitimis in vniuersis mulieribus, partu leuatis, eodem fines & terminos promiscue atque indifferenter constituturi, quum ea non dierum numero, quibus effluxere, metienda, verum iis puerperarum circumstantiis, quarum paulo ante memini, perpendenda & diiudicanda sint. Haetenus fuit, quod de legitimo lochiorum fluxu breuius quidem, quam tanta res dici poscit, a me scribi oportuit.

k) IYNCKERVS loc. cit.

l) ALBERTI Diss. cit. §. II.

oportuit. Plura de eodem supersunt, digna, quae explicatiora traderentur; sed temporis angustia & rerum dicendarum multitudo prohibent, ea hoc loco confectari omnia. Quare ad ea, quae me magis mouent, nimirum ad ipsam *lochiorum imminutionem & suppressionem*, iam ingrediar explananda.

§. XXVII.

Lochiorum itaque *imminutorum* nomine illum morbum velim complexum, *vbi sanguis in uteri ductibus, gestationis tempore, collectus & aggestus, a partu quidem, sed copia parciore, quam pro vita & sanitatis commodo & conseruatione, puerperis e genitalibus effluit.* *Suppressionis* vero eorum appellatione, ille *puerperarum morbus* mihi venit intelligendus, quo *statim ab exclusione foetus & secundinarum nihil fere cruoris matrice effertur, aut, si quis indidem effundi coeptus fuerit, breui tamen post omnino subsistit, cum summo valetudinis & vitae damno ac periculo.* Duo hi morbi, quibus nihil frequentius puerperis vsu euenire solet, sollicitè inter se mihi videntur internoscendi, quum alter altero longe periculosior esse puerperisque funestior obseruetur. Tametsi enim concedendum, vtrosque puerperis persaepe grauissima mala & pericula portendere ac dubii atque adeo funesti euentus esse: nec tamen potest negari, perfectam *lochiorum obstructionem*, praesertim eam, *vbi illico a puerperio sanguini via exeundi intercluditur, longe maiora foeminis moliri pericula, quam eorum imminutionem* *m*). Exstant

qui-

m) Mich. ALBERTI Dissert. de Suppress. lochior. §. VI.



quidem apud rei medicae Scriptores varia obseruata, de puerperis Lochiorum fluxu immunibus nihiloque minus sanis *n*): verum haec rariora sunt, quam vt ad ea omnem lochiorum retentionem exigamus, maxime quum ex ipsa vteri structura haec sanguinis, si in corpore abundat, effundendi necessitas nullo negotio demonstrari queat; vt ea exempla, quae profecto innumerabilia sunt, tam paucis atque insolentibus obseruatis reclamantia, lubentes taceamus.

§. XXVIII.

Verum enim vero maximopere cauendum est, ne quaeuis cruoris ex genitalibus puerperarum excretio, parcius minutiusque, quam pro consuetudine & modo, in aliis partu liberatis & optima valetudine fruuentibus identidem obseruato, contingens, statim pro morbosa lochiorum imminutione habeatur. Supra enim iam ostensum est, lochiale hanc expurgationem nunquam non prudenti Medico minime solo dierum numero, per quos a puerperio fluxerit, nec copia, quae prodierit, expendendam esse & dijudicandam; verum potius ex puerperarum temperie, corporis habitu, viuendi genere, ipsius sanguinis vbertate, quin etiam spissitudine & lentore, mensibus praegressis, aliisque id genus aestimandam. Reperiuntur enim mulieres, quae post parturam non tantam sanguinis copiam ex vtero exquunt, quanta ipsarum corporis constitutioni, & plethorae, in hujus canalibus collectae & coaceruatae, conue-

n) Act. Nat. Curios. Dec. I. Ann. III. Obs. 267. SALMUTHVS Cent. III. obs. 89. Hist. de l'Academ. Royale des Scienc. Ann. 1738. obs. 5.

conuenire videtur, sine vlla insequente singulari valetudinis noxa: quoniam natura per alia corporis loca, velut per intestinorum sentinam, aut cutis cribrum, humorum abundantiam excernit. Sic plurima sunt atque disperse in obseruatorum monumentis obuia exempla de foeminis, parum cruoris a partu fundentibus, quibus contra alius citatior & copiosior lata fuerit *o*), vbi proinde, per eiusmodi frequentiores diarrhoeas, sanguinis affluentia satis fuerit diminuta, lochiorumque paucitas iisdem compensata. Neque desunt testimonia, vbi mulieribus, interturbata hac atque imminuta lochiorum excretionem, corpora sudoribus subinde manarunt largissimis, permagno sanitatis commodo *p*). Aliae, retentis aut imminutis lochiis implicitae, deprehensae sunt, quibus superueniens sanguinis ex intestinis profusio magnum narratur fuisse subsidium. Quibus idcirco paucis, iam in medium prolatis, cuius futurum duco spectatissimum, quam plurimum interfit, vt Medicus, verissime de imminutis lochiis iudicaturus, assidue rationem habeat aliarum solennium corporis excretionum, quo modo succedant. Hisce enim praeter modum iam auctis, & crebrius solito eiusmodi puerperis, quas lochiorum imminutione credimus esse tentatas, euenientibus, tanta mala nequicquam ab ea metuimus, quanta alias inferre solet, corporis natura, per alias excretionem sanguinis, redundantiam in puerperis euacuare prorsus negligente.

F

§. XXIX.

o) BARTHOLINVS Aët. Hassnienf. Vol. II. Obs. 5. La MORTE Trait. compl. des accouch. obseru. 160. DIONIS Libr. cit. Libr. IV. Cap. IX.
p) DIONIS loc. cit.

§. XXIX.

Nec ille lochiorum fluxus statim morbosus atque imminutus est declarandus, ubi sanguis in vasis uterinis haerens illico, primo alteroue post partum die, admodum larga velutque effusa copia genitalibus effunditur; posterioribus vero diebus, nisi omnino indidem emanare iam desierit, certe tamen exigue atque adeo guttatim duntaxat e muliebribus adhuc defluat; omnium praecipue puerpera satis belle ab illo se habente, nec de vllis acerbis symptomatibus conquerente ^{q)}, quoniam breuiori hoc temporis spatio tantundem sanguinis largiore hac lochiali effusione excerni, turgidaque vteri vasa aeque bene expediteque infarciens sua liquidorum mole leuari & liberari possunt, quantum paulatina & parciore, longiori temporis intervallo, queat. Tandem quoque nec illud silentio praetermittendum est, inueniri aliquando puerperas, quibus, quotiescunque puerperii labores sustinent, toties quoque lochia naturaliter exigua mole ex vtero prodeunt, sine vlllo valetudinis ipsarum detrimento. Vnde denuo omni luce clarius apparebit, nec hunc fluorem, eiusmodi mulieribus naturalem & vsitatum, ideo, quod ipsis minutius cruor fluit, imminutum morbosumque esse putandum. Ex iis igitur, quorum hucusque memini, haud obscure intelligi poterit, primum, quam considerate Medico sit agendum, de vera lochiorum imminutione iudicaturus, ne statim ea, quae interdum tempore breuiori, quam in aliis deprehensum est, cessauerint, declaret imminuta; deinde ad quam

q) ALBERTI Diss. cit. §. XI.

quam normam ea sint exigenda, si certus de eorum impeditori cupiat esse & difficiliori successu, quippe qui indubitate explorari potest, comparando hunc illis proprietatibus, in singulis quibusque puerperis obuiis, quas antea fusius recensui.

§. XXX.

Quanquam vero utraque haec mala tam prauo & peruerso sunt ingenio, ut puerperarum saluti vitaeque saepe numero non maximas tantum calamitates inferant, sed interitum etiam subinde moliantur atque exitium; illud tamen de iis affirmare nullus dubito, perfectam lochiorum obstructionem imminutioni eorundem, & grauitate, & symptomatum acerbitate & periculo, longe esse superiorem, omnium praecipue si statim a partu praesto sit, nec ullis convenientibus mediis, tempestiue adhibitis, se recludi & ad iustam fluxionem atque ordinem reduci patiatur; quia hac ratione sanguini, matricis vasa maxima vi ac mole obruenti, proptereaque in iis stagnanti, & in iustum satisque expeditum motum profluum agitari impedito, subsistendum est, qui proinde hoc pacto non potest non innumera, eaque grauissima & funestissima mala & damna puerperis citissime inferre. Quod si vero cruor, a foetus & secundinarum exclusione, iam vnum alterumue diem puerperis e muliebribus, quantumuis parcius iusto minutiusque, fluxerit, tumque demum eius suppressio superuenerit; quisque facile, vel me silente, perspiciet, hanc illi calamitatibus & periculis utique inferiorem fore, tametsi itidem lubentissimus annuam, nec eam omni

F 2 vitae

vitae periculo multorumque symptomatum grauitate
 esse eximendam, sed omnino haud insolenter infelices
 habere exitus. Quemadmodum vero lochiorum sup-
 pressio non eadem semper facie prodit: ita quoque
 eorum imminutio diuersi tenoris esse animaduertitur.
 In quibusdam enim puerperis cruor, illico post foetus
 editionem, parcius aegriusque aequo muliebribus exire
 incipit, perque paucos dies parco difficilique successu
 distillare pergit, deinde vero omnino subsistere inque
 perfectam suppressionem desinere: in aliis vero lochia
 primo alteroue ab enixu die satis moderate riteque suc-
 cedunt, postmodum vero quibuscumque de causis de-
 mum imminuuntur, sicque parcius & minutius manare
 perseverant, aut omnino cessant. Quamuis vero haec
 lochiorum excretio imminutio atque insufficientis, per-
 fectae eorum retentioni omnino quadantenus sympto-
 matum grauitate atque vehementia cedat: confessae
 tamen veritatis est, nec eam suis calamitatibus ac peri-
 culis esse immunem, praesertim priorem, quae statim
 partum subsequitur. Quam vero circumspectus & cau-
 tus Medicus esse debeat in vera eaque morbosa lochio-
 rum imminutione dijudicanda, quum iam supra ad nau-
 seam a nobis sit inculcatum, hoc loco amplius dicere
 nihil attinet. Illud tamen mihi non esse puto dissimu-
 landum, quod a multis, qui de lochiorum defectu vel
 impeditiore fluxione aliquid litteris mandarunt, prae-
 termissum video, hunc videlicet fluxum, quamuis le-
 gitimum & ordinatum, constante tamen naturae lege,
 tertio plerumque die insigniter imminui, quin etiam
 haud raro intermittere: quod hoc temporis solenniter
 puer-

puerperis febris illa, lactea quae nominari solet, obre-
pit, ubi sanguinis impetus ab utero ad mammas, pro
lactis secretionem, conuertitur r): febricula autem hac
abiente, quae vix duodecim aut quatuor & viginti ho-
rarum excedit, lochia, tamdiu intermissa, iterum re-
vertendo, vt antea, ex pudendis fluunt. Quae proin-
de parciore lochiorum excretio aut intermissio haudqua-
quam pro vera eorum imminutione habenda est.
Quodsi vero ea, ante huius febris accessum, non satis
copiose, sed mediocriter duntaxat, ex utero emanave-
rint, nec, febre hac silente, redierint, imminutis lo-
chiis utique veniunt annumeranda: quoniam etiam tunc,
quum uteri vasa nondum inundante cruore sint satis ex-
hausta, puerperis plurimum molestiae & periculi creat.

§. XXXL

Quo autem cuius clarius pateat, quae detrimen-
ta puerperae ex lochialis expurgationis capiant defectu
aut exiguitate, haud absurdum nec scopo nostro alie-
num erit, praecipua illa symptomata, quibus hi morbi
stipati obseruantur, paucis heic expedire, quippe quae
eorum διαγνωσει plurimum lucis affundunt. Exoriuntur
itaque mulieribus ab hoc siue imminuto, siue inhibito,
fluxu, magna abdominis inflatio seu intumescencia, insi-
gni eius tensione & duritie, quae digitis contrectanti-
bus & prementibus valde resistit, stipata s), cui comi-
tes haerent dolores tensiui, grauius & lancinantes
F 3 cum

r) WOLTERS DORFFENS Diff. de febre lactea puerper. Praesid. BOEHMERO
Halae publici juris facta.

s) IVNCKERVS Lib. cit. Tab. XVII. DIONIS, Lib. cit. L. IV. Cap. IX.

cum ardore, in hypogastrii interioribus faeuientes *t*). Hisce alui & vrinae retentiones, tenesmus, stranguria, angustia praecordiorum, cum magna inquietudine & corporis iactatione coniuncta *u*), cibi fastidium, conatus ad vomendum, non raro in veras vomitiones erumpentes, cardialgiae, tensiones spasticae intestinorum, quin etiam colica tormina sese focia adiungunt. Quibus insuper etiam accedunt spirandi difficultas *x*), mammarum dolores *y*), cordis palpitationes *z*), pulsus celer & frequens *a*), febris acuta inflammatoria *b*), vehementes capitis dolores, mentis alienationes *c*), syncope *d*), conuulsiones *e*), suffocatiuae faucium strangulationes *f*), inflationes hypochondriorum angustantes *g*), & complura id genus alia truculenta symptomata, quae omnia velut e communi quadam radice pullulant, quae est ille cruor in vterinis vasis retentus atque haerens, vtpote qui partim sanguini, a tergo affluenti, impedimenta injicit, quo minus satis promte expediteque matricis vasa subire queat, vnde redundando ad alia abdominis viscera maiori copia ruit; partim vero subsistendo sanguineos vteri alucos miris modis

t) ALBERTI Diss. cit. §. IV.

u) ALBERTI loc. cit.

x) DIONIS loc. cit. MANNIGHAM Libr. cit. p. 86.

y) DIONIS l. c.

z) MANNIGHAM ibid. DIONIS l. c.

a) ALBERTI ex HIPPOCRATE §. IV. Dissert. cit.

b) IVNCKERVS Libr. & Tab. cit.

c) MANNIGHAM l. c.

d) DIONIS ibid. MANNIGHAM pag. cit.

e) ALBERTI ibid. MANNIGHAM cit. loc. DIONIS ibid.

f) ALBERTI l. c.

g) Idem ibid.

dis distendit, hacque via nerveis filis, quae innumero numero dictis sanguineis ductibus intertexta sunt, vim magnam infert. Hinc minime mirum est, quum vtero tam summa, tam arctissima sit per nervos cum vniuersis fere corporis partibus coniunctio, has omnes, eo nunc tam vehementer perculso grauiterque afflicto, vna in consensum abripi & calamitatis illius, qua afficitur, fieri participes. Praeterea cuius quoque perspicuum fore mihi est persuasum, enarrata huc vsque symptomata, quae & suppressionem, & imminutionem lochiorum excipiunt, multo acerbiora atque atrociora esse futura, lochii omnino interceptis & muliebribus exire prohibitis, quam iisdem tantum imminutis parciusque iusto indidem effluentibus.

§. XXXII.

Cognito igitur, quae quantaque & parciore difficiliorque lochiorum, & omnino cohibitus atque interceptus eorum fluxus, detrimenta ac pericula foeminis identidem inferat; non abs re fuerit vel eas haec subtexere causas, quae hoc profluum extenuare, aut reprimere seu sistere valent, ne intacta relinquamus, quae tamen praetermissa non oportuit, omnium maxime, quum omnis curationis cardo potissimum in vera earum cognitione vertatur. Quemadmodum vero quaedam continuatio & series causarum in hac rerum vniuersitate deprehenditur, ita vt alia ex alia adnexa omnesque inter se aptae colligataeque videantur: ita quoque humano in corpore, velut compendio huius vniuersi, similis observatur esse causarum connexio, qua alia aliam semper

per ad effectus suos edendos concitat. Quo etiam nomine Apollineae artis filiis solenne est, morborum causas in *remotiores & proximiores*, atque adeo *proximas*, distinguere, a quibus proinde posterioribus in praesenti telam sermonis exordiri collibet. *Proximam* itaque utriusque huius affectus *causam* asserimus vel *spasmodicae matricis contractioni*; vel *nimiae* cuidam eius *laxitati* seu *debilitati*, vndecunque ipsi inducta; vel ipsi *sanguini*, praeter modum *spisso & viscido*; vel denique *ingenti sanguinis ubertati*, vasa vterina infarciendi, eaque immoderatus distendendo de suo tono ac robore deturbanti, ut proinde in cruorem contentum non satis expedite agere, nec eum in matricis antrum extrudere valeant.

§. XXX.

De prima proxima causa, quamobrem puerperii purgamenta, vel parcius iusto minutiusque, vel admodum nihil subinde excernantur, nemini credo facile dubium fore, dummodo curatius expenderit, quemadmodum illi vteri ductus, qui, placenta omni nexu cum iis iam exsoluta atque ex vtero sublata, naturaliter in eius penetralia dehiscunt, eiusmodi spasms ita constringantur, ut sanguini, in matricis parietibus haerenti, & vsquequaque indidem exire coacto, vel via non satis patula per eosdem in matricis specum pateat, vel aditus eodem penitus praeccludatur; vnde, si prius acciderit, lochia puerperis difficilius minutiusque fluant; sin autem posterius, omnino supprimantur, necesse est. Neque quenquam mihi persuadeo alteram horum affectionum

ctuum causam, quae uteri nimia est laxitas atque imbecillitas, temere in dubium incertumque esse vocaturum, quum abunde constet, sanguinem, per se motu progressivo carentem, non sane unquam tanta copia ex apertis istis emissariis in uteri caueam esse effluxurum, nisi insigni ista & manifesta se contrahendi potentia, qua uteri corpus pollet, undique vrgeretur eodemque extruderetur. Qua proinde undelibet valdopere labefactata deque suo statu deiecta, minime mirum est, parum aut nihil cruoris a laxato atque eneruato utero in huius cauum deuolui posse. Tandem nec facile aliquis de sanguinis spissitudine, modum excedente, & nimia affluentia, sanguineos uteri alucos effarciente, dubitauerit, quin identidem proximae deficientium aut imminutorum lochiorum causae esse possent, ipsa experientia loquente, innumeris sane mulieribus, citra praegnationem, vel solis hisce causis solennia menstrua saepenumero disturbari, vel supprimiti; argumento omni luce clariori, tum ipsam sanguinis glutinosam habitudinem, tum eius farcturam, in uteri canalibus haerentem, in censu causarum proximarum vtique venire referendas.

§. XXXIV.

Iam in eo est, vt *causas* quoque *remotiores*, quae proximam causam in actum deducunt, paucis percurramus. Quarum numero habenda est quaecunque *corporis refrigeratio*, siue extrinsecus, siue intrinsecus puerperis arcessita, velut a potu gelido, cibis frigidis comestis, vel a frigidae aerae afflatu, in uteri interiora se haud insolenter intrudentis. Observationum enim fide

G

in

in aprico est, vteri orificium neutiquam statim a partu puerperis occludi, verum, RVYSCHIO obseruante, per quatuordecim *b)*, DEVENTERO autem annotante *i)*, per octo vel nouem dies apertum manere, hiæ aëri gelido, ad muliebria adspiranti, nihil obstat, quo minus per patulum istud orificium matrici illabatur eamque ad spasticas constrictiones incitet. Quid? quod vel aliae corporis partes, si frigori exponantur, lochiorum defectui, aut certe difficiliori ac impeditiori manationi, ansam præbent, velut si nudis pedibus frigido pavimento insistant, aut per illud incedant; vel si simul ac partu fuerint leuatae, continuo frigidum lectum ingrediantur, aut alio modo corpus ab algore negligentius defendant, vel algente indusio se induant, aut in frigido conclauis cubent, aliisue multis modis sibi ab externo frigore non satis caueant: quia hoc pacto transpiratio pernecessaria impeditur, & humores a corporis periphæria ad interiores eius partes recedere coguntur. Hinc etiam plus sanguinis ad vteri vasa irruere, quæ tamen insuper iam nimia cruoris abundantia obruta sunt, necesse est, vnde ipse vterus a nimia cruoris mole, quæ eius canales referti sunt, ad varios spasmos suscipiendus impellitur. In hac causarum occasionalium, quæ lochiorum successum interturbare aut omnino sufflaminare valent, classe præcipue veniunt omnes impetus, commotiones & affectiones animi, inque primis terror atque ira, numeranda *k)*, quippe quæ cuncta matrici spaf-

b) Thesaur. anat. IX. affer. I. No. XV.

i) Libr. cit. pag. 44.

k) IVNCKERVS l. c. DIONIS *ibid.*

spasmodum faces subicere solent, qui proinde subito oborti vasa illa, quae secundinarum auulsio & sublatio post se aperta reliquit, vel nimis angustant, vel plane constringunt clauduntque, vnde non mirum, viis his coarctatis aut penitus interclusis, exiguum aut nihil sanguinis in vteri cauum deferri.

§. XXXV.

Praeter modo recensitas causas, lochiis remoram subinde inferre, aut aditum ad matricis penetralia omnino intercipere solitas, vel illae veniunt nobis attingendae, quae vteri vim & potentiam sese contrahendi vsque eo infringere & debilitare valent, vt labefactatus iam deque conuenienti suo tono & robore deturbatus, non pro eo, vt conuenit, sanguinem in suis vasis stagnantem in motum concitare inque vteri cryptam euoluere queat. Hinc similiter quisque nullo negotio cognoscet, vtero tam grauius afflicto, omnino esse futurum, vt lochia vel cunctantius languidiusque, quam pro necessitate, vel nihil omnino fluant. Quae vero matrici tantam labem quandoque adficiant, sunt primum ipsa *parturiendi difficultas* & labor, siue is talis fiat propter peruersum foetus in vtero situm, siue inusitatum eius magnitudinem, siue ob ipsius parturientis malam corporis conformationem, siue denique ob aliam quamcunque causam. Namque quum vterus, parturiendi tempore, tam creberrimis nixibus, tam summis ac vehementissimis contentionibus, quamuis vanis aliquando atque irritis, hospitem suum expellere molitur; facile apparebit, eum ex tantis tamque diutinis laboribus,

quos hoc temporis sustinuit, ingens elasticae suae potentiae siue roboris damnum ac detrimentum esse capturum, ut proinde, edito foetu, nec satis quidem habeat viarium sanguinem in iustum motum progressuum agitando, ne dum ex suis alveis foras exterminandi. Quocirca etiam nihil observari solet solennius, quam quod eiusmodi mulieres, quibus diutinum puerperium & laboriosi nixus fuerunt, plerumque acerbissimis uteri inflammationibus, lochiorum legitimum successum vel omnino inhibentibus, vel certe interturbantibus, tentari consueverint. Deinde nec raro etiam utero eiusmodi laxitas & atonia ab ipsis obstetricibus, quae foetui excludendo opem ferunt, consari atque induci solet, dum, prole iam in lucem edita, placentam, funiculo eius rudi atque imperita manu prehensio, vi vehementiore & crudiore ab utero auellunt indidemque extrahunt: qua violenta auulsione illa uteri vasa, quibus placentae furculi, velut arctissimis vinculis, erant adnexi, simul quodammodo protracta, longius aequo & solito extenduntur, hacque ratione usque adeo debilitantur, ut purpureum laticem, eo ingressum, neque coercere, neque in matricis cavernam exprimere valeant. Hinc sanguini, post partum expurgando, impedimento sunt, quo minus ex iisdem excidere ac deinde pudendis effluere queat. Postremo vel ab eo matrici haud sane exigua infirmitas & debilitas frequenter accidere cognoscitur, si quando usus fuerit, ut foetus, qui praeposito & peruerso in matrice situ siue positu utitur, foetuli obstetricantis manu, utero immissa, prehensus, flectendo ita componendus sit, quo facilius expeditiusque in-

indidem extrahi nascique possit; haec foetus inflexio non satis moderate & circumspecte sed immodestius, festinantius iustoque violentius peragitur: unde ipsa matrix non raro vsque adeo laeditur viribusque suis frangitur, vt postea, partum quantumuis prosperrime enixa, tamen saepius vel nullum sanguinem, vel certe pauxillum effundat.

§. XXXVI.

Quibus vero aduentitiis causis sanguinis nimia copia puerperis ita commoueri possit, vt sibimet ipsi nonnunquam sit impedimento atque aditum ad matricis caueam intercludat, nec vlli iudicatu puto difficile futurum, dummodo sollicitius ad illos ingentes labores, quibus parturientes consuetari subinde consueuerunt, attenderit, quanta contentionum magnitudine, quanta motuum vehementissimorum violentissimorumque frequentia uterus persaepe suum incolam nonne exurgeat atque extrudat? quantis similiter quamque creberrimis nonne atque impensissimis totius corporis puerperae nixibus, pariendi tempore, in excludendi foetus negotium incumbat? qua ratione vtique, tam laboriosissimo partu, mulieribus nihil certius accidere potest, quam vt sanguis, qui citatissimus hoc temporis per corporis vasa fertur, vehementer percalecat aestuque velut ferueat; sicque, vt vniuersa, ita etiam speciatim matricis, vasa extra modum & vltra iustam distensionis ipsorum sphaeram diducat ac dilatet. At vero quum sanguinei matricis aluei, praeter haec, iam nimia sanguinis multitudine cumulati sint atque obruti, ideoque praeter modum

dilatati, quisque, vel me tacente, nullo negotio cognoscer, futurum esse, vt illi hac ratione a sanguine exaestuante velutque turgescente iam tanto magis distendantur, quanto infirmiores magisque labefactati iam a violentissimis illis motibus spasticis redditi fuerint, quibus vteri corpus foetum exturbare solet. Quocirca nemini mirum videbitur, lochia identidem effluere prohiberi a sola sanguinis abundantia, partus tempore in celeriore motum prostruum agitata, atque calore vehementiori incensa. Vt in praesenti taceam, cetera illa calefacientia, cum medicamenta, tum potulenta, quibus puerperae aliquando vtuntur ad partum promouendum, vel ad lochia, si cunctantius languidiusque procedant, pellenda, quippe quibus camino oleum addi plerumque solet.

§. XXXVII.

De inusitata *sanguinis spissitudine*, quomodo causa lochiorum imminutionis aut suppressionis existeret queat, nihil hoc loco commemorari attinet, quum neminem facile ducam esse futurum, quin perspiciat, ad iustum eorum successum non satis esse, vt vasa, quae in vterico hiant, aperta sint ac patentia; sed vt ipse quoque sanguis eiusmodi fluiditate praeditus, quae horum canalium, ipsi peruiorum, diametro seu capacitati respondeat, sine qua exoptatus quidam lochiorum successus frustra expectabitur. Superfunt quidem nonnullae aliae procatarticae causae, quae, puerperis superuenientes, lochialis fluoris defectum arcessere subinde valent: quas tamen lubentes tacemus, ne aggerere hoc loco molem

lem

Iem rerum anteaatarum, hisque angustis paginis includere velle videamur, quæ jam alii latius sunt profectu. Prius vero quam dispiciamus, qua via lochiis, a naturæ præscripto recedentibus, succurrendum, ut in justum redigantur fluxum atque ordinem, nec illius obliviscendum est pessimi moris, qui nostratum esse obseruatur, quo puerperæ ventrem, ut primum partu fuerit leuata, confestim fasciis circumiectis arcte constringunt, ut, opinione earum, matrici debilitatæ amissum robur hoc pacto reconcilietur, lochiorum successus eo promoueat & rugarum foeditas, quas venter a partu contrahere solet, deleatur. Verum enim vero quam male cum puerperis agatur, quamque pessime earum saluti consulatur, si illico post partum fasciis, idque arctissime, ligentur, id, proh dolor! tristis experientia quam plurimarum puerperarum maximo damno, atque adeo exitio interituque, docuisse, a multis recentioribus, qui operam, studium ac laborem suum in obstetricandi artem contulerunt, traditur *h*). Tantum enim abest, ut eiusmodi fasciæ, quibus abdomen mulierum illico a puerperii laboribus circumuinciri consuevit, tot tamque præclaros usus, quot de iis prædicantur, foeminis, foetum enixis, præsentent, ut contra iisdem maximo damno sint ac detrimento, potissimum arctius iusto, ut plerumque fieri solet, adstrictæ adductæque vehementius. Neque hoc cuius arbitror fore ambiguum, perpensuro, uteri vasa, quæ per omne gestationis tempus in omnes dimensiones mire expansa tenentur, tanta sanguinis vi ac mole obruta

h) La MOTTE Traité complet des accouchem. L. V. Chap. IX. & obs. 420.
HALLERUS Libr. cit. not. 4. in §. DCLXXXVI

ruta esse atque oppleta, quantam, foetu cum reliquis exclusis, nec amplius quidem capere, nedum in circumfluum motum concitare, valeant; quia tum, utero sensim subsidente & ad pristinam paruitatem redire annitente, paulatim coarctantur inque eandem flexuosam viam, qua ante grauiditatem incedebant, renouuntur: hinc cruori necessario in iis foret subsistendum, nisi actutum a partu insigni copia iisdem, *lochiorum* nomine, effunderetur. Quod si igitur mulieribus, simul atque partum fuerint enixae, venter eiusmodi vinculis circumplicatis arctius aequo constringitur, nihil potest inde foeminis euenire certius, quam quod abdominis muscoli utero subiecto, & partus insuper laboribus grauissime afflicto atque enervato, neque dum ad pristinam magnitudinem reuerso, sed etiamnum satis dilatato, valdopere apprimantur vimque haud sane mediocrem inferant: quoniam matricis sanguineos alueos nondum satis exinanitos, sed cruore adhuc impletos abundantiori, comprimunt & multo angustiores reddunt, quin etiam magis labefactant viribusque frangunt, quo idcirco sanguini, indidem in vteri caueam expellendo, remora atque impedimentum iniicitur, quo minus eo peruenire queat. Hinc nemini facile crediderim permirum esse visurum, si ab eiusmodi ventris vincutionibus, maxime confestim ab enixu si fiunt, per saepe mulieribus perhibuerim lochiorum vel suppressionem, vel certe eorum imminutionem vsu venire. Fa-teor, prauam hanc consuetudinem, mulieres puerperii periculis commodum defunctas fasciis vincendi & constringendi, in Germania ita inualuisse, vt eam abolere conaturo aut saltem ex ea aliquid mutaturo, diras sane omnes

omnes nostrates obstetrices imprecaturae essent. Quare si qua forte obstetricum sibi duxerit religioni ab hac recepta atque vſitata consuetudine desciscere, illi certe suasor atque auctor existam, vt eiusmodi ligamina saltem primis diebus non admodum arcte, & demum die septimo, octauo, vel nono circumacto, successiue paullo arctius puerperarum ventri circumdari permittat: quippe quo tempore lochiorum fluxus, nisi omnino iam remiserit, certe tamen, maximam partem, ad exitum fuerit perductus.

§. XXXVIII.

Perspectis itaque primariis & praecipuis causis, tum proximis, tum procatarteticis, quae lochiorum prouentum disturbare atque inhibere possunt, conueniet quoque paucis expedire, qua via calamitosiſ hisce morbis auxilio sit veniendum, vt, si vasorum ostia, quibus cruor lochialis ad vteri cauum deferri solet, fuerint obserata, ea referentur: sin autem duntaxat angustata, rursus amplientur, hocque modo lochii, quoad eius fieri poterit, via ad vteri cauum recludatur. In his proinde morbis curandis medenti, vt in omnibus aliis, causa eorum proxima potissimum respicienda est, qua enim satis mature & tempestiue sublata, ipsum quoque morbum, vtpote effectum eorum, tolli, satis superque constat. Quid? quod ratio ipsi aliarum secretionum atque excretionum solemnium diligenter quoque habenda est. Quod si enim eiusmodi puerperis aliae excretiones praeter modum fuerint auctae, ita vt aluus fusior & citior, vel sudatio copiosior iis accidant, aut si natura cruoris exsuperan-

H

peran-

perantiam per alias vias, velut per haemorrhoidalia vasa, excretum iuerit: non sane est, quod magna mala a lochiis, minutius aut nihil omnino fluentibus, metuat, quoniam vicem seu partes lochiorum suscipiunt. Porro ei peruestigandum est, ecqua culpa deficientium lochiorum in ipso vtero deprehendatur? Accidit enim haud insolenter, vt vterus, nimis partus laboribus quam maxime eneruatus & laxatus, non aequabiliter vsqueque a partu se constringat, verum subsidens sensimque ad pristinam suam paruitatem rediens, hinc & illinc in varias plicas, foecundas per saepe dolorum a partu grauissimorum genitricis, se contrahat, quae, nisi manu, tempestiue ac prudenter vtero inserta, breui auferantur, sicque vteri superficies interior ex omni parte rursus adaequetur & complanetur, inducta vtero inflammatione, lochiorum prouentui maximo impedimento esse obseruantur. Atque is profecto incendium oleo esset restincturus, qui in hoc casu, neglectis hinc vteri plicaturis & susque deque habitis, interceptum lochiorum fluxum vsitatis pellentibus remediis prouocare auderet. Neque praetermittendum est, Medico diligenter ex ipsa puerpera, aut aliis, quibus intima consuetudo quondam cum ea intercesserit, quaerendo sciscitari, quemadmodum ipsi menstrua, vel etiam lochia in superioribus semper puerperis, successerint, parcius minutiusque, an vero largius copiosiusque? Sunt enim, quibus & menstrua, & lochia, prolem si enixae fuerint, naturaliter exigua copia fluunt, sine vlla valetudinis suae iactura: vbi proinde inconsultum ac temerarium foret, medicamentis pellentibus eiusmodi mulieribus largiora lochia, ad quae tamen natura non

non propensae sunt, concitare. Tandem si puerperae matrix a lochiali sanguine parcius, quam pro valetudinis commodo, repurgata fuerit visa, non tamen vllis inde ipsi vsu venientibus quibusdam malis siue symptomatibus, velut pulsū arteriarum celeri & frequenti, febre, abdominis tumore duro & digitis renitente, ventris dolore, siti, inappetentia, aliisque huius generis: pariter inconsideratissimae hic esset temeritatis, effusioem lochiorum fluxum medicamentis calefacientibus, cuiusmodi sic dicta sunt pellentia, ei proritare velle; quum tamen, rebus sic se habentibus, ab impeditiori hoc, vt primo quasi aspectu nobis videtur, lochiorum profluuium eiusmodi puerperae nihil damni & detrimenti veniat expectandum. Ex his igitur, breuius dictis, quam tanta res dici meretur, ipsa luce clarius elucebit, quanto pere Medicis, lochiorum in puerperis successum, legitimus ne sit sufficiensque, an vero insufficiens atque illegitimus? iuste aestimatum ituris, cauendum, ne statim ea declarent morbosa, quae sibi non satis expedite & copiose muliebribus exire videntur: nec illico eiusmodi medicamina, hanc sanguinis fluxionem alias suscitare atque elicere solita, quippe quorum maxima calefaciendi est vis sanguinemque commouendi, in vsum vocent; ne demum eiusmodi mediis puerperas, quae alias, sibi & suae naturae relictæ, illaesaæ atque indemnes euasissent, in maximum & sanitatis, & vitae periculum & discrimen adducant.

§. XXXIX.

Si igitur Medicus, in auxilium vocatus, lochia esse
H 2 immi-

imminuta aut omnino suppressa comperit, ipsi perscrutandum est, an sanguis, & quanta copia, illico a foetus exclusione, utero exiuerit; an vero admodum nihil statim a partu indidem emanauerit? Si posterius, ei nihil prius, nihil antiquius esse debet, quam ut continuo puerperae sanguinem curet mittendum, ut abundantiam cruori, in uteri vasis subsistenti, iamque in inflammationem delapso, spatium detur non per ea solum liberius exeditusque permeandi, sed per illa quoque emissaria, quae in matricis penetralia dehiscunt, eo effluendi. Quod si enim vllum spectatissimae virtutis atque efficacitatis, ad obstructionem lochiorum subito referendam & tollendam, reperitur remedium, certe est sanguinis missio, in tempore celebrata, quippe quae praesentissimi effectus hic esse iam pridem compluribus iisque doctissimis Viris obseruata est *m*). Qua vero in corporis parte eiusmodi venae sectio fit adornanda, non conuenit inter Medicos. Quidam enim eam in pedibus tantum praecipiant instituendam: aliis contra eandem prius in brachio, postea vero demum in pede celebrari iubentibus. Equidem non sum nescius, eum esse nostratium Medicorum morem, ut, quemadmodum in mensium suppressione aut imminutione, ita quoque in lochiorum defectu aut pariori fluxu, venam in pedibus iubeant plerumque incidere: id quod longe aliter fit in Gallia, ubi primo brachii venam eo consilio incidunt, ut copiosorem sanguinis ad uteri vasa, quae iam insuper nimia eius vi ac mole obruta

m) ALBERTI Diss. cit. §. XIII. DIONIS I. c. Lib. IV. cap. IX. MANNINGHAM L. c. p. 86. & 87. MAYRICEAV Aphorism. §. 260. FR. HOFFMANNVS Libr. cit. Tom. IV. Part. I. Sect. II. Cap. X. §. IV.

obruta, ideoque mirum in modum distenta ac de suo robore tonoque deiecta sunt, affluxum ab iis revellant, quo illa hoc modo aliquantum suo onere levata, & ad vltiorem cruoris inundationem tutiora reddita, plus spatii & virium capiant in sanguinem stagnantem expeditius agendi, eundemque ex se in vteri cauum euolvendi. Si vero, administrata hac prima in cubito venae sectione, lochia nihil dum muliebribus exire sentiant, non verentur iterum ex brachio sanguinem detrahare; id quod vel tertio reiterare non dubitant, donec cruoris quidquam ex pudoris sinu emanare incepisse animaduerterint: tum vero demum sanguinem, derivandi scopo, e pede curant mittendum, quo peracto plerumque puerperii purgamenta foeminis multo copiosius atque expeditius vsu venire atque ex voto succedere conspiciuntur ⁿ). Qui modus retenta lochia prouocandi inque iustum fluorem atque ordinem reducendi, quam inusitatissimus etiam minusque solennis Medicis nostratibus esse solet, tam praesentissimam permultis millibus mulierum, lochiorum suppressione implicatarum, opem ac medelam vtplurimum attulisse in Gallia obseruatus est; vt proinde non fatis mirari possim, nec dum hanc Gallis receptam lochia suppressa reuocandi methodum, tam innumeris tamen experientiae testimoniis confirmatam, cui nihil absouum, nihil temerarium aut periculosum inest, in nostram patriam esse inductam. Venae autem sectione, dummodo iusto tempore & conuenienti loco fuerit celebrata, nihil efficacius, nihilque

H 3

prae-

ⁿ) DIONIS Libr. cit. L. IV. cap. IX. MAVRICEAV Aphorif. cit. 260. MANNIGHAM Libr. cit. p. 87.

praesentius esse ad suppressum lochiorum fluxum resuscitandum, nemini non facile liquebit, ingentem illam sanguinis copiam, in uteri ductibus magis haerentem, quam progredientem, eosque summo opere distendentem, atque inde eorum se contrahendi vim infringentem, consideraturo, cuius subita per sanguinis detractionem fit diminutio; unde vasis, nimio sanguinis onere alleuatis & ad pristinum suum robur reductis, vis redeat maior & potentia, stabulantem cruorem in profluum motum concitandi atque foras expellendi, omnino necesse est. Id ipsum vero nunc sanguinis missione, in brachio facta, multo facilius obtinetur, quam si in pede fuerit suscepta, quoniam illa sanguinis ad uterum appulsus impetusque ab hoc reuellit, & magis ad superiora vertitur, quo liquidus, in matrice restagnantibus, spatium relinquatur sensim per venas uterinas in venam cauam remeandi, vasis autem arteriosis suam vim contractilem recuperandi: cum e contrario V. Sine in pede adornata, cruoris vis seu moles maior atque impetus a superioribus corporis partibus in uteri vasa deriuetur atque proritetur, quæ tamen vltro iam abundante sanguine scatent turgentque. Non obscure igitur ex his, in medium prolatis, elucebit, quamobrem illa methodus, quæ Galliae Medicis in usu est, haud quaquam reprehendenda, ut forte multis videri posset: nititur enim & fundamentis hydraulicis, & firmis experientiae fulcris. Hinc quoque est, cur iam nota hac memoria sunt, quibus Gallica hæc methodus, resecta lochia suscitandi atque eliciendi, vehementer comprobatur, quorum e numero vnum, qui mihi instar omnium sit, hoc loco allegare liceat, Virum, & corpora humana disse-

dissecandi, & obstetricandi peritia ac scientia nemini secundum, Excellentissimum BOEHMERVM, Patronum ac Praeceptorem, omni pietatis & reuerentiae cultu acetatem mihi suspiciendum, quippe qui, ad suppressum lochiorum fluorem instaurandum & restituendum, praecipit, vt semper sanguinis e brachii vena detractio praemittatur sectioni venarum in pede, quo, praegressa liquidorum vitalium ab vtero reuulsione, postmodum hic fluxus per repetitam earum incisionem deriuatoriam tanto facilius ad conuenientem successum perducatur. Verum enim vero quum facile praeuideam, quam arduum sit aliquem ab ea deducere sententia, quae in eius animo velut altissimis defixa est radicibus: nemini ideo dicam sum scripturus, si in eadem manere sibi constituerit; mihi enim satis esse potest paucis hic tantum expediisse, quemadmodum in cohibito lochiorum profluuiio venae sectio sit suscipienda, prosperum si ab ea expectabimus effectum.

§. XL.

Quod si vero mulieri, statim a prolis editione, lochialis cruor per aliquod tempus e genitalibus fluxerit, postea vero denique substiterit inque veram obstructionem transferit, Medico cauendum est, ne indifferenter illico sanguinis missionem suadeat; verum potius illam sanguinis copiam, quae excreta fuerit, illudque tempus, per quod verendis exire perseverarit, respiciat. Namque si sanguinis latex, primo vel etiam altero ab enixu die, large effuseque ex obscenis fuerit effusus, deinde vero demum postero tertio & subsequenter diebus ita interceptus, vt nihil cruoris amplius indidem destillet; ipsa
inte-

interim quoque puerpera belle habuerit, nihil acerbifue molesti sentiens, nec de ullo symptomate conquerens; pulsus insuper quoque non mutatus, sed naturali similis successerit, reliquaque omnia, velut ciborum appetentia, somnus, alui excretio, cetera, vt in hominibus prospera valetudine fruuentibus, processerint: nihil sane est, quod tunc sanguis hic mittatur, quia corporis natura videtur tantum sanguinis breuiori hoc tempore ex vterinis vasis profudisse, quantum necesse fuerit ad matricem grauante sanguinis onere releuandam & liberandam. Sin autem lochia a partu quidem extemplo comparuerint, verum tam exiguo tamque imminuto fluore e genitalibus, idque duntaxat per breue temporis spatium, velut per duodecim aut viginti quatuor circiter horas, manauerint, ac deinde cessauerint, vt prudens idcirco Medicus, effusam eorum quantitatem cum puerperae corporis habitu, temperamento, viribus, praesenti, quam etiam nunc in suis vasis gerit, sanguinis abundantia, praegresso victu, vitae genere, huiuscemodi aliis, conferens, inde iudicando efficiat cogatque, ea parcius, quam pro necessitate & modo sanguinis, in corporis & praesertim vteri canalibus adhuc restantis atque haerentis, puerperae fluxisse; praeter haec vero ipsam quoque mulierem variis acerbis suspectisque ac morbofis accidentibus, velut pulsu pleno & citato, inappetentia, ventris torminibus, praeternaturali fiti, vigilia seu ἀγρυπνία, cordis palpitatione, difficultate spirandi, capitis doloribus, aliisque pluribus huius generis malis, tentatam deprehendat: sine vlla mora & dubitatione vena in pede est ferienda, sanguisque, habita plethorae, virium, ceterorumque puerperae ratione tempesti-

pestiue inde educendus, vt hac ratione vterus, nimia sanguinis vbertate atque onere quodammodo leuatus, maiorem vim ac potentiam se contrahendi, sicque reliquum cruoris, quod sibi molestiae est atque oneri, deinde effundendi recipiat. Vix enim credibile dictu est, quantas quamque vehementes agitationes siue motus matri- ci valeat concitare sectio venae, potissimum in brachio instituta: namque si mulieri, vterum ferenti, venam in brachio incidi iusseris, eo autem ipso, quo sanguis ex ea profilit, manum ventri ipsius admoveris seu imposueris, non sine summa admiratione per exteriora abdominis integumenta ipsosque musculos senties, quemadmodum vteri corpus, eodem temporis momento, in motus agitetur euentissimos, adnotam manum obseruabili satis modo ferientes: argumento vix vlllo alio testatori, quantum sanguinis missio, si in brachio fuerit suscepta, valeat ad matricem languentem, aut pariendi molestia & nimis laboribus defatigatam atque confectam, perciendam & in motus concitandam, ita vt non promptius solum ac validius se contrahat, sed etiam multo exactius expeditiusque in sanguinem, quo ipsius vasa inundata sunt, agat eumque in motum circularem cogat. Operae pretium visum est paululum in venae sectionis vtilitate clarius ostendenda commorari, quippe in qua, dummodo in tempore & conuenienti corporis loco fuerit adornata, iustaque sanguinis copia indidem puerperis detracta, omnium praecipuum & maximum curationis horum morborum situm est momentum, vt proinde, quum tantos vtilitatis fructus, tamque repentinum saepe puerperis, lochiorum suppressione vel imminutione implicitis, ferat auxilium,

I

non

non satis laudari medentiumque animis inculcari potuerit. Quae idcirco fini nostro congruenter perspecta, expedit quoque cetera, quae in retento seu impedito loquiorum profluuiio integrando & restituendo medicinam facientibus obseruanda sunt, paucis persequi.

§. XLI.

Sanguine itaque per incisam venam, quoad eius necesse fuerit, sufficienter educto, plurimum quoque interest, ut de alui excretionem solliciti simus, eamque, si adstricta & obstructa fuerit, officii sui admoneamus; quoniam recto intestino arctissima est coniunctio cum uteri vagina, quin etiam aliqua cum ipsa matrice per nervos, a communi stirpe, velut plexu illo hypogastrico, oriundos, intercedit connexio. Vnde intestino hoc spasmis adstricto atque ita ocluso, ut fecibus, in intestinorum sentina stabulantibus & aggestis, nullus ex eo pateat exitus, ipsum quoque uterum in similem consensum cruciatumque abripi, necesse est: quae igitur ratione similiter crori, ab utero eliminando atque expurgando, via exeundi vel omnino intercluditur, vel certe remora atque impedimentum infertur. Ad aluum igitur exinaniendam & spasmodicis stricturis exsoluendam haud quaquam profunt sic dicta purgantia medicamenta, quae valide stimulando atque intestina irritando agunt, utpote quae hisce partibus demum longe acerbiores ac vehementiores spasmos arcesserent; verum duntaxat lenientia & relaxantia, quae excrementa ficciora aut indurata emolliendo & diluendo liquidiora reddere, & cum intestinorum, tum uteri spasmos mitigare atque adeo profligare valent. Quo
in

in censu omnium potissime *enemata lenientia* atque *emol-*
lientia, ex variis emollientibus & roborantibus, velut
radice althaeae, meliloti, lilior. alb. herbis maluae,
mercurial. parietar. branc. urfin. meliss. menthae, abrotan.
puleg. matricar. floribus verbasci, chamomillae, meli-
loti, sem. carui, cumin. anis. castor. oleo chamomill. lini,
aneth. amygd. dulc. concinnata, & lacti recenti incocta,
referenda sunt, vt quae omnibus ceteris aluum ducenti-
bus medicamentis, virtute spasmodorum acerbitatem per-
mulcendi ac deliniendi, longe antecellunt. Vix enim
dici potest, quantas utilitates, quam egregia commoda
puerperae, his morbis obnoxiae, ex crebriori clysterum
vsu, praesertim si aliquoties de die ano iniiciantur, per-
cipiant, dum non intestina modo ab inhaerente iis limo
repurgant atque eluunt, verum spasmos etiam illos, qui
sanguini a matrice fluxuro iter interfaepiunt, egregie
mulcent relaxantque; quid? quod cruorem illum, in vteri
vasis haerentem, ac difficillimo & quam maxime retar-
dato illo per eius ductus motu paulatim spissatum velut-
que in grumos coactum, blando & amico suo calore re-
soluendo diluunt, & ad faciliorem atque expeditiorem
ex iis egressum aptiorem reddunt. Neque hic contem-
nenda sunt, quae ex aliis medicaminibus aluum, lenien-
do vel certe placide eam de suo officio monendo, ape-
riunt, dummodo parce & prudenter in vsum vocentur.
Cuiusmodi sunt, quae ex manna, tamarindis, rhabarba-
ro, passulis maioribus exacinated & minoribus, aliisque
eiusdem generis deprompta parantur, quae cum blan-
dis & temperatissimis, nec calefacientibus carminatiuis,
velut cum pomorum citri vel aurantium corticibus,

consociata, haudquaquam sunt reiicienda. Verum omnibus hisce, obstructam aluum recludentibus, genuinae pilulae Stahlianæ palmam præcipiunt, ut quæ non sine ulla solum turba puerperis aluum placide mouent, sed etiam lochiis promouendis inque conuenientem fluxum reducendis, imo matrici, viribus fractæ deque naturali suo tono ac vi deturbatæ, eximium robur reconcilians omnium præclarissime inseruiunt. Cuncta vero sic dicta positiva purgantia, quæ stimulando operantur, hic sunt omnino interdicens, quippe quæ mulieribus vehementissimos & funestissimos spasmos inferendo, atque uteri inflammationem incendendo, acerbissimo eique certissimo futura essent exitio.

§. XLII.

Deinde vel eo respiciendum est artificio, ut eiusmodi foeminis, ita afflictis, placida transpiratio perpetuo nec interrupto eat successu, quo non tantum sordes atque impuritates illæ, vitalibus liquidis quantacunque copia intermixtæ, & ingentibus istis laboribus ac nixibus, quibus pariendi actui mulieres foetum excluderunt, vehementer exagitatæ deterioresque factæ, (quæ deinde crebrius opinione febrem illam, puerperis omnium præcipue solennem, purpuratam, accendere solent,) foras eiciuntur; sed copiosior & rapidior quoque sanguinis ad uterum allapsus atque impetus indidem auertitur, magisque ad exteriorem corporis habitum reuocatur, unde utero haud sane leue afflictionis suæ leuamentum exoritur, quippe qui hoc pacto longe facilius se suo sanguinis pondere & vi exsoluere poterit. Omni autem cura

cura hic vniuersis iis remediis, quae sanguinis massam acri calore atque adeo aestu feruentissimo incendere valent, abstinendum, ne incendium illud, quod iam in vteri sanguineis ductibus exarserit, oleo hac ratione addito restinguamus: verum ea tantum hic conducunt, quae sine vlla sanguinis commotione agunt, humores corporis reddendo dilutiores magisque fluidos, & vascula cutis exterioris exhalantia & sudorifera relaxando atque aperta conferuando, vt sero perspirabili satis peruia maneant. Ad hunc finem igitur exsequendum vsus praestantissimi sunt illa medicamina, in Medicorum foro *infusa* quae appellantur *theiformia*, ex eiusmodi ingredientibus composita, quae virtute resolvendi & roborandi gaudent, in quorum censum potissime veniunt radices angelicae, rubiae tinctor. taraxaci, gentianae rubrae, cichor. graminis, Zedoar. herbae melissae, puleg. marrub. albi, artemis. capill. Veneris, flores chamomill. vulg. cheiri, calend. anthos, arnicae Bohemicae, aliaque vegetabilia, ex quibus aliisque pluribus, eadem efficacia instructis, decocta aut infusa cum aqua simplici concinnari possunt, quae aliquoties de die moderate calide hausta, non modo crassiorem sanguinem dissolunt & attenuant, sed quoque blando modo perspirationem augent, imo etiam lochiorum fluxum lenissime promouent. Similem quoque praestant usum diaphoresin leni modo suscitandi, simulque spasmos, uterum affligentes, sedandi & compescendi, *pulveres* sic dicti *antispasmodici*, ex absorbentibus, blandioribus diaphoreticis & spasmorum vim reprimentibus concinnati, velut e lapid. cancror, siue praeparat. siue acido citri solutis, cornu

I 3
cerui

cerui praeparat. conchis praeparat. matre perlar. margarit. praeparat. antimon. diaph. aut bezoard. minerali, puluere Marchion. nitro vel depur. vel, quod potentius est, regenerato, cinnabari siue factit. siue antimon. similibusque aliis, quibus, si spasmodum in utero atrocitas vrget, castoreum refracta dosi adiungendum. Et, si forte vsus fuerit, lochiis, cunctantius languidiusque etiam nunc cedentibus, stimulum quendam subdere, non inconuenienter eiusmodi puluerulentis leniora insuper pellentia, velut succinum alb. aut borax Veneta, immiscentur. Ex iisdem quoque pulueribus cum aquis destillatis, diapnoicis & antispasmodicis, ut scord. card. ben. aut Mariae, scabios. flor. sambuci, tiliae, acaciae, paralyf. papauer, &c. coniunctis, addito quodam syrupo, velut cortic. aurant. papauer. acetositar. citri, variae portiones medicae adornari possunt, quibus, si spasmodum acerbitas permagna fuerit, nitrum paulo largius associandum est. Neque incongruum est, huiusmodi potiunculis liquorem mineralem anod. *Hoffmanni*, quin etiam spiritum nitri dulc. vt & spiritum bezoardicum *Bussi*, aliaque huius generis anodyna & bezoardica mitiora, prout necessitas postulauerit, subinde admiscere; quippe quae cuncta spasmodum vim mitigant & constantem diaphoreticos successum promouent & conseruant. Si cui etiam volupe foret, leniores alexipharmacas essentias, ut scordii, alexipharmacam temperatam *Stablii*, carlin. angel. pimpin. alb. &c. in usum trahere, ipsi id per meliceat, si modo perexigua dosi, temperamentis non calidis, sed torpidioribus, nec sanguine nimium abundantibus, exhibeantur.

§. XLIII.



§. XLIII.

Quam maximo etiam foeminis, alterutro dictorum morborum affectis, vsui sunt ac emolumento omnia, quae sanguinea earum liquida, durante grauiditate semper fere solito atque aequo spissiora reddita viscidioraque, diluendo extenuant velutque fundunt, largius & frequentius hoc temporis adsumta. At vero, quum praeter aquosa nihil inueniatur, quod eiusmodi diluendi virtute adornatum; ea ad pronentum lochiorum expeditiorem suscitandum omnibus reliquis, quae alias ad eundem scopum multis laudibus celebrantur, merito praeferrantur. Hinc eiusmodi decocta admodum diluta, velut hordeacea aut auenacea, vel quae virtutibus quorundam radicum, vt scorzonerae, graminis, asparagi, cichor. sarsapar. rasura C.C. aliisque id genus fuerint imbuta, ac syrupo quodam conuenienti, aut saccharo edulcorata, puerperis magno cum fructu, loco cereuisiae vel alius cuiusdam consueti atque ordinarii potus, commendari possunt, primis puerperii diebus crebrius haurienda, vtpote quae humores diluendo, diapnoen constantem conseruando & lochia leni blandoque modo ciendo, vniuersis aliis palmam praeripiunt. Quo nomine execranda & detestabilis ista consuetudo, quae etiamnum nostra memoria viget ac plurimis medentium solennissima est, qua, lochiis non rite fluentibus aut omnino sufflaminatis, statim ad sic dicta *pellentia remedia*, praesertim fortiora, velut crocum, myrrham, castoreum, cetera, quasi ad sacram ancoram, confugitur, non satis reprehendi verbisque castigari potest. Quanta enim damna, quamque funesta mala hoc pacto puerperis perlaepe inferantur, notius, proh dolor! est, quam quod angusto

sto hoc loco id pluribus rerum testimoniis demonstratum tradam. Mihi tantum abunde est paucis hic expedire, prudentem Medicum raro, si forte vnquam, huiusmodi vehementioribus pellentibus pharmacis ad impeditum lochiorum fluxum reuocandum indigere. Etenim si in perfecta lochiorum suppressione, sanguinem prius e brachio, deinde vero e pede: in eorum autem imminutione, tantum e pede curauerit tempestiue & sufficiente copia educendum; ipsi eiusmodi calefacientibus & lochia vehementer periculoseque cientibus adminiculis non opus fuerit, dummodo, (habita simul eorum ratione, quae paulo ante de circumspccta alui per clysteres solutione & per necessaria transpirationis auctioris conseruatione perhibui,) lochiis e genitalibus rursus manare coeptis, id potissimum curae sibi habuerit, vt affecta male puerpera eiusmodi diluentibus tantum infusis, vel decoctis, aliisque dilutioribus liquidis aut potulentis, per interualla de die idque sufficienti vtatur copia, quibus profecto nihil praestantius, nihil efficacius ad spissos humores diluendos excogitari potest. Si vero circumspcctus consideratusque artifex cognouerit, omnino necesse esse, vt lochia, cunctantius languidiusque succedentia, stimulo quodam incitentur; haud alia conuenit adhiberi, quam quae lenissimo modo agunt, nullum sanguini aestum vel orgasmum constando. Quae vero nec tum quidem satis secure offerri mulieribus possunt, nisi sanguinis missione opportune praemissa, nec etiam vlla febre aegrotae oborta.

§. XLIV.

Quo autem modo febris, fida inflammationis uteri
 socia,

focia, puerperam si corripuerit, & quibus remediis sit curanda, hoc loco speciâtim exponi, non duco necesse esse, maxime quum methodus, qua illi succurritur, ab ea, quam huc vsque de omissis aut amissis lochiis reuocandis tradidi, si a paucis quibusdam discefferis, non multum abludat. Neque de illa *febre*, puerperis omnium praecipue solenni, *purpurata* quae audit, heic plura memorari attinet, quoniam hac ratione, si omnia, quae de ea dici possint, expromere coner, hasce pagellas commodae Dissertationis modum excessuras mihi foret metuendum. Quocirca vel illa praesidia, quae extrinsecus corpori applicata, ad repressum vel diminutum lochiorum fluxum proliciendum multoties plurimum faciunt, paucis expedire ex vsu erit. In hunc itaque veniunt census sic dicta *epithemata*, tum *sicca*, tum *humida*, quae hypogastrio potissimum aut pudendis admota multum prosunt. Possunt vero eiusmodi fomenta multis modis, modo specie *cataplasmatibus*, interdum *sacculi* cuiusdam, nunc *balnei vaporosi* aut *suffitus*, nunc alia quacunque forma istis partibus adhiberi, si modo ex eiusmodi speciebus fuerint concinnata, quae virtute sua resoluente, neruina & roborante efficacissime polent, ad sanguinem, qui vteri vasis inhæret, congruatim discutiendum, & ipsum vterum corroborandum, vt, recepto suo pristino tono & potentia, stagnantem cruorem promptius exprimere ac propellere valeat. Cui proinde scopo obtinendo omnium potissime inseruiunt radices angelicae, galangae, Zedoar. aristoloch. rotundae, diptamni alb. irid. Florent. bryon. herbae meliss. abrot. calaminth. matricar. rorismar. sabin. puleg. serpill. rutaë, flores cheiri, chamom. vulg. baccae laur. & iunip.

K

semina

semina carui, cumini, dauci Cretici, anisi, asa foetida, castoreum, crocus orientalis, aliaque eiusdem virtutis, quae, prout cuius usus esse fuerit visus, aut necessitas fuaserit, contusa prius & concisa, sacculis inclusa lactique incocta ac deinde expressa, moderate calide hypogastrio imponi possunt. Aut, si alio modo placuerit, inde quoque cataplasmata confici queunt, quae cum lacte vel etiam vino decocta, pariter abdomini applicantur. Neque etiam egregio suo usu carent, si vino aut lacti incoquantur, quod deinde percolatum & linteis triplicatis aut quadruplicatis ita calide exceptum, rursusque probe expressum, infimo ventri adplicatur, quippe quae omnia blando suo & grato calore, liquida in uteri valis aggesta & in grumos velut concreta, attenuant, spasmos matricis relaxant eamque ipsam efficacissime refocillant ac debito robore rursus instruunt.

§. XLV.

Non incongrue etiam ex eiusmodi vegetantibus, cum adiectis quibusdam emollientibus, ut radic. althaeae, lilior. alb. herb. malu. melilot. mercurial. sem. foenugr. lini, aliisque *fomenta vaporosa*, quin etiam *balnea vaporosa*, parari possunt, ubi exhalans inde vapor aliquoties per diem parti affectae applicatur. Neque silentio mihi praetermittenda sunt illa *balnea humida*, quae *pediluviorum* nomine cieri solent, ut quae similiter ad profuuum lochiorum inuitandum & alliciendum non exigui sunt usus, modo caveatur, ne praefervida usurpentur, nec nisi aluo prius aperta, & sanguinis per incisam venam detractione praemissa, quo neglecto, plus damni, quam emolumenti afferre solent. Omnibus vero eiusmodi vaporosis balneis, suffusionibus & pediluviiis, utilitatis

utilitatis fructu longe antecellunt *clysteres uterini*, qui ex radicibus & herbis emollientibus & moderate resolventibus confecti, beneficio siphonis seu metrenchytae matricis cauo *de pueris* iniiciuntur. Verum enim vero vt euentus huius iniectionis optatis nostris respondeat, summopere Medico circumspicendum est vteri orificium, an adhuc sit apertum, an vero iam oclusum. Si posterius, eiusmodi infusio puerperis plus nocitura esset, quam profutura, quia tunc vteri ostio, violenta ista huius syringae per illud immisione, magna vis inferretur, vnde vtero spasmis longe vehementiores veniant, necesse est: sin vero prius, eiusmodi enema in eius interiora nullo negotio immitti poterit. Sed primum maximopere cauendum, ne siphone ipsi inferendo orificium illud laedatur vel vsquam offendatur; deinde ne infundendum liquidum iusto sit calidius, sed calore temperatissimo; postremo videndum est, vt enema iniectum ad vsque matricis fundum perueniat illiusque parietibus circumseptis vsquequaque affundatur. Profecto si qua fomentorum extrinsecus abdomini applicatorum est utilitas, vtique est horum *clysterum*, qui matricis cauo iniecti, immediate interiorem eius ambitum vsquequaque alluunt; utpote qui benignis suis fotibus eam, partus labore impense defatigatam & confectam, eximie recreant, suauis suo calore sanguinem spissum velutque concretum dissoluunt, spasmos saevientes leniunt placantque atque vteri vasa, spasticis motibus contracta, relaxando aperiunt & hac via cruori retento exitum in eius caueam conciliant; cuius tunc prouentus tanto erit expeditior copiosiorque, quanto maturius eius missio ex dictis corporis partibus fuerit adornata, praefertim

tim si Medicus insuper eiusmodi infusis & decoctis diluentibus, quorum supra mentio est facta, eum conuenienti modo adiutum iuerit. Est quidem hoc lochii retentis vel imminutis medendi genus nostratibus minus vsitatum; verum enixe foret optandum, vt. vel illud iis proueniret ac frequentaretur, quoniam eius tam spectatissimus est vsus in suppresso lochiali fluxu reuocando.

§ XLVI.

Tandem nec *victus* illius ac viuendi generis nobis obliuiscendum est, quae mulieribus maxime salutaria sunt ac necessaria, ad amissa lochia ipsis renouanda atque instauranda, quippe ex quibus pariter magna prosperae curationis & euentus lochialis suppressionis aut imminutionis pendent momenta. Foeminae proinde, cum alterutra harum corporis affectionum consistanti, summo opere cauendum est ab omni frigore, siue extrinsecus quocunque modo corpori allapso & illato, siue intrinsecus, per qualiacunque esculenta & potulenta frigida deglutita eidem contracto, (quanta enim algoris cuiuslibet sit vis & potentia ad puerperii fluxum repente sistendum, quum id iam ex iis, quae supra scripsi, abunde constet, hic fastidiosè repetere supersedeo) atque e contrario operanda est, vt corpus suum blando & moderato calore, eodemque constanti, foueat, quo aequabilis transpirationis conseruetur successus. Tum in lecto per illud tempus decumbat quieta, abstinendo ab omni immodica corporis membrorumque eius iactatione, ne sanguinis massae, eiusmodi irrequieta corporis agitatione & membrorum projectione, maiorem aestum atque orgasmum augeat. Animus sit quietus, tranquillus, omnibusque cupiditatibus ac vehementibus concitationibus siue commotioni-

motionibus, curis atque aegritudine vacuus ac liber: vix enim quicquam est, quod tam subito lochiis viam praeccludere valet, quam animi affectus, qui idcirco eiusmodi afflictis puerperis eo magis sunt vitandi, quo frequentius huic malo ansam praebere possunt. Videndum quoque, ut aluus non sit segnis, adstricta occlusaue, verum semper suo officio rite fungatur: & si stricturis spasticis occupata ei non satisfecerit, ad illud redire cogatur, nequaquam vero vsitatis purgantibus atque intestina irritantibus remediis, ut quae hic omnino interdicens & proscribenda sunt; sed clysteribus duntaxat emollientibus, lenientibus & roborantibus, crebrius iniiciendis. Sin vero fufior citiorque feratur, quam pro virium corporis modo, nunquam medicamentis adstringentibus temere supprimenda est, sed tantum temperantibus & leniter roborantibus moderanda. Cibi, quibus aegrotae vtuntur, sint tenues, pauci & ad concoquendum facillimi, neque flatibus aut torminibus, aliusve intestinorum turbis, velut diarrhoeis aut alui obstructionibus, aegrotanti puerperae concitandis idonei, quos omnes hoc loco singulatim nominatimque proferre nec mihi constitutum est, nec tempus, cuius breuitati studendum, concedit. Quanti vero referat, ut puerperae suae ciborum, praesertim insalubrium aut certe minus congruorum, appetentiae non indulgeat, verum exquisitissimae victus rationi semper studeat, illud paucis ante hebdomadibus, quam Vienna profectus me huc Halam contulerim, de foemina quadam paupere, partum recens enixa, & Nosocomio Pazmariano, quod ibi est, excepta, obseruare mihi integrum fuit, quae, lochiis ipsi ex voto succedentibus, vehementiori, nescio, quo appetitu impulsae eo temeritatis processit, ut acetariis, nescio, quibus largiter comestis, eum sibi expleuerit, quo facto lochiorum fluxus, qui tamen ei optime iuerat, continuo substitit planeque fuit suppressus, quem deinde Medicus, huic valetudinario praefectus, Excellentissimus atque Doctissimus Dn. HIRNHEIS, Doctor Medicinae celeberrimus, administrata statim venae sectione aliisque convenientibus subsidiis opportunae adhibitis, feliciter in pristinum statum restituit. Quemad-

modum vero in nostris morbis esculentorum diligenter haberi rationem conuenit, ita quoque plurimum interest, vt cura eorum, quae aegris puerperis potui esse solent, similiter habeatur maxima, ne nimis calida, quippe quae sanguini feruidiorem calorem constant, nec, quod multo deterius est, nimum frigidam hauriantur, vt pote quo in ipsa matrice spasmodicae constrictiones, in intestinorum vero voluminibus flatulentiae excitantur. Eiusmodi quoque mulieribus quacunq[ue] cereuisia interdendum, & contra solum usum ptisanæ, siue decocti auenacei, vel hordeacei, esse praescribendum, iam supra perhibui. Exsulent quoque hic omnia reliqua potenta spirituosâ atq[ue] inebriantia, quocunq[ue] nomine comprehensa, vt quae sanguini maiorem aestum inferunt. Generosi quidem cuiusdam vini permodicus usus identidem concedi potest; sed demum sanguinis affluentia per phlebotomiam ablata febrique inflammatoria absente. Omne etiam calidum regimen, vbi aegrotantes culcicris plumis & stragulis velut inuoluuntur ac sepeliuntur, aut in conclaui impensius calefacto agunt, eiusmodi mulieribus maximae perniciæ est & exitio, quare nec illud permittendum, sed temperatus duntaxat calor gradus ipsis imperandus est. Tandem quoque omni sollicitudine prohibendum esse ac vitandum, ne puerperae abdomen continuo post partum fasciis circumligetur, sed denique, lochiis profuere paene desinentibus, id quod plerumq[ue] die circumacto nono, vel vt maxime decimo seu vndecimo, fieri solet, vbi tunc eiusmodi ventris ligatura laxior admitti potest. Quod si vero quis sui propositi vsque adeo tenax fuerit, vt a sua sibi recepta consuetudinè nullo modo discedere velit, illi saltem quam amicissime suaferim, vt fascias istas abdomini laxius velutq[ue] negligentius curet circumvoluendas, ne lochiorum fluxui esse impedimento possint. Plura quidem restant, dignissima, quae illustriore declaratione B. Lectoris oculis subiicerentur; sed tempus fert canere receptui, quapropter huic Dissertationi imponam

FINEM,

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. ERN. ANT. NICOLAI.

Multi quidem Medicorum, ii praesertim, qui magnam sui nominis gloriam atque auctoritatem fuerunt consecuti, multa de medicina rationali faciunt verba, eamque insignibus extollunt encomiis, quin eo procedunt temeritatis, ut se rationales esse Medicos profiteantur & gloriantur; sed, si verum fateri licet, tantum abest, ut medicinam rationalem probe cognitam habeant atque exploratam, ut potius omni, genuina saltem, eiusdem notione sint destituti. Medicina enim rationalis non in nuda solum mutationum in corpore humano contingentium notitia historica acquiescit, sed philosophicam etiam earundem exposcit cognitionem atque explicationem, cum medicina contra empirica circa historicam tantum corporis humani phaenomenorum notitiam versetur, nec sese ultra illam extendat. Illa determinat conditiones, sub quibus haec vel illae ita vel aliter sequuntur in corpore humano mutationes, & medicamenta hos nec alios producant effectus; haec e contrario omnes has negligit conditiones, Medico scitu & utiles & necessarias, unde patet, quantum illa huic tam dignitate, quam utilitate antecellat. Verum enim vero maximopere est dolendum, plerosque, qui medicinae excolendae operam navant, omnes illas negligere disciplinas, quae non directe quidem ad scientiam sanitatem conservandam & restituendam ducunt, sed mentis vires ad solidam eruditionem, & praecipue perfectam corporis humani cognitionem acquirendam, praeparant, & omnibus fere philosophiae & medicinae partibus posthabitis, vel saltem leviter pertractatis, coeco animi impetu raptos ad istam medicinae partem se applicare, quas circa morbos prestigandos versatur. Palluntur sane quam maxi-

me tales, & quod praecipuum est, cum summo aegrotorum de-
 trimento. Mentis acumine, legum, ad quas in cognoscenda ve-
 ritate animi vires sunt dirigendae, cognitione, necessarii ratio-
 nalem exercendi praxin subsidiis destituti & de conquirendis re-
 medicum formulis, in his vel illis morbis adhibitis, tantum solli-
 citi, quid agere & quid praestare possint, quo sanitas hac vel
 illa ratione sublata restituatur, iis, qui penitus medicinam cal-
 lent, facile est perspectu. Omnes enim, quae & quotquot in cor-
 pore humano contingunt mutationes, non nisi sub certis & deter-
 minatis sunt circumstantiis, quae, si absint, efficiunt, ut, quae
 antea adfuerunt, nunc deficiant, & in eorum locum alia succe-
 dant, praesentibus conditionibus consentanea. Hae sunt atten-
 tione dignae iisque scitu necessariae, qui solidam corporis huma-
 ni cognitionem felicemque praxin sibi comparare cupiunt. Recte
 igitur & laudabiliter egisti, Nobilissime Domine CANDIDATE,
 quod TVAE Dissertationis argumentum, quod disquisitione admo-
 dum est dignum, non historice solum, ut vulgo fieri solet, sed
 philosophice etiam pertractaveris. Doctissimus quisque, qui attenta
 mente hanc TVAM perleget Dissertationem, facile perspiciet, TE
 vere medicinam callere rationalem, & secundam TIBI, in TVO
 artis medicae exercitio, polliceri posse fortunam. Nihil dicam de
 singulari atque excellenti rerum anatomicarum scientia, quam hoc
 specimine satis superque demonstrasti, nihil de praclaro, quo
 in eruendis TVIS veritatibus usus fusti, ordine, nihil denique
 de sili elegantia, qua totam TVAM Dissertationem ornasti &
 splendidiorem reddidisti. TIBI potius, AMICE SVAVISSIME,
 de honoribus summo cum applausu a Gratioso Medicorum Ordine
 impetratis ex animo gratulor. Ducat TE summus rerum mode-
 rator incolumem ad patrios lares, reddatque TVI desiderio fla-
 grantibus parentibus atque amicis. Vive & vale diu, mibique
 TE porro amicam praesta. Halae Magdeburgicae,
 die XXIII. Novembr. M DCC XLVII.



ULB Halle
002 729 385



3

St





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
IMMINVTIONE
ET
SVPPRESSIONE
LOCHIORVM

QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS, MEDICAE
PRAESIDE
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVRAL. PROFESS. PVBL. ORDIN.
IMPERIAL. ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

AD D. NOVEMBR. A. S. R. M DCC XLVII.

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR

SAMVEL BREVĚR

NEOSOLIO-HVNGARVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI ACAD. TYPOGR.